

1706
S.M.
HIERONYMI
CARDANI CASTELLIONEI
MEDIOLANIENSIS
DE CONSOLATIONE
LIBRI TRES.



Venetijs Apud Hieronymum Scotum.

1 5 4 2.

HIERONYMI

CARDANI CASTELLIONIS

MEDICINAE

DE CONSOLATIONE

LIBRI TRES.

Liber Cartusiae sala caeli dono datus ab
Ill^{mo} & R^{mo} in Xpo patre D. Beatonio
Braganca eius^{domo} dotatore & fundatore
Archiep. Eboen.

HIERONYMI CARDANI

C. medici Mediolaniensis in tres libros
de Consolatione Probemium
ad Lectorem.



STATVERAM ab initio hunc librum alicui amicorum dedicare: sed venit in mentem, quod argumēto rei protinus eū ipsum, cui dedicassem, offensurus videbar. namque illud natura omnibus insitum mortalibus videtur, ut se miseres quam sint existiment, feliciores vero videri cupiāt. quapropter diuites opes suas, reges potentiam, milites robur ostentant: eruditi nugas suas, etiam audire nolentibus effutiunt. tam magnum studium hominibus est tales velle apud homines videri quales minime sint, inde e diuerso vitia et turpitudinem suā, suorumque, omni occulunt industria: tectōque igne tormentum maius ob inanem hanc gloriam tolerant. quid igitur si cuiquā libros hos dedicassem: non ne tanquam ad illius medendam egre

giam aliquam calamitatem inscripti, aut potius
destinati viderentur. absit igitur vt tam compen-
diosa opera quęquam offendam. alios vero si nõ
hęc ratio moueat: omen ipsum tituli et rei se-
ries perterrebit: tanquam ad eum missus hic li-
ber videatur, qui quamuis fœlix nunc sit, proti-
nus tamen sit infœlix euasurus. tantum omnes
quod ridiculum est sapiunt. at ego magis illis in-
sanirem, si hanc illorum superstitionem, aut dis-
simulare, viderer, aut corrigere tentarem, sit
igitur hic liber nullius nomini addictus: sed ex
libro liber euadat. fuerat autē ab initio eius no-
men accusatoris, vt qui vanos hominũ affectus,
atq; falsas argueret persuasiones: at post muta-
to nomine, et in tres libellos diuiso, de consola-
tione eum inscripsimus. quod longe magis infœ-
lices consolatione, quam fortunati reprehensio-
ne, indigere viderentur. verum quouis modo ti-
tulum eius appellaueris, seu de cōsolatione seu
accusatorem, res ipsa pertractata, a nomine
suo non abhorrebit. Vale.

HIERONYMI CARDANI

C. Medici Mediolaniensis de Consolatione. Liber Primus.



TINAM Ex tot tantisq; ueterū monumentis quę barbarorum bellis interierunt, saltē libri Tullii de Cōsolatione in morte filię seruati essent. cū enim propè diuinus illæ homo in singulis causis perorandis esset. Maius tamē aliquid in eo genere excogitasse putādum est: quod neq; a uulgari, nec ficta, aut aliena, sed à naturali affectu, ingentiq; animi perturbatione proficisceretur. ea uero cōsolationis ratio est, ut quāquā nullis argumentis muniatur, nullaq; facundia ornetur, ex se tamen locupletissimā materiam suggerat. in quam cum tāti ingenii ac eloquētiæ uir, tantoq; spiritu incidisset: præclarum, ac super humanam omnem expectationem, opus elaborasse credendum est. Verum quāquā huius præsidio destituti, res ipsa tamen aggredi-

enda erit. non solum quòd adeò sit laudabilis, ut male laudari nō possit: sed quòd etiam tam necessaria, ut quemadmodum in cæteris, quibus carere non possumus, præstat qualècunq; habere, quàm non omnino habere. etenim ædes quoniam sint necessariae, qui lapideas habere non potest, luteas possidebit, at qui & his caret, tabulatas: quarum si nec copia ulla sit, iunceas, aut spelūcas inhabitabit: ita omnino in his pessimam melius est habere, quam nullā. Hoc uero consolandi munus tam est necessarium, ut neminem effugiat. quamuis enim satis comper tum sit, nullum hominem undequaq; foelicè inuentum fuisse: si tamen a mortalibus omnes auferrentur calamitates, mortis nunquam molestia, ac metus, cuiquam defuturus est. at uide quot & quanta nobis præter eā relicta sint mala: nisi repulsa erroris nebula, ueritatem ipsam ac cum ea doloris lenimentum amplectamur. habet enim hæc reliquis necessitatibus, maius aliquid: quòd cū reliquæ adhibita re quæ que rebatur, conquiescāt: ut fames cibo, sitis potu, labor quiete, sola malorū memoria adeò tenax, adeoq; multiplex est: ut nisi recta ratione sedetur, hominem nunquā derelinquat, nunquāq; destituat: sed ex uno in alium mentis æstū transiens, perpetuam quādam uicissitudinem, mo-

do malorū, modo miseræ pariat. Quòd si non
 ex uoto nostro cuiquam persuadere quantum
 debeat licuerit, ut deposita tam ingenti animi
 anxietate, ad tranquiliorem uitam se cōuertat:
 nobis ipsis tamen non parū, propter quos hāc
 instituimus orationē præcipue, satisficiemus,
 atq; ea causa, ut olim Asclepiodorus fertur non
 ineleganter absq; coloribus pinxisse: sic nobis
 continget, ut nudam, & absq; fuco ueritatē ostē
 dentibus: quantum quisq; erret in uita, in con
 silio, in existimatione, atq; in uoluntate intelli
 gat, agnoscatq; quædam, etiam si non elaboren
 tur, tam foeliciter à natura ipsa instituta, ut se
 ipsa probent. quod genus tum in his quæ de
 nostra instabilitate, ac uita fragili, & uanagloria
 tum in eis quæ de re ~~re~~ natura scribuntur,
 locupletissimum semper fuit. etenim in his om
 nibus quantum sermonis elegātia, uoluptatis
 affert, & iocūditatis, tantum sinceritati & fidei
 persæpe detrahare solet, marmoreas colūnas,
 & peristilia porphyretica, & alabastru uasa, pin
 gere quis uelit: cū nuda, uel simplici ornamen
 to, dignitatem operi addant. crustacea, & cemē
 titios parietes, pingimus, & ornamus: ut quod
 naturæ deerat, ars suppleret. Neq; uero nobis
 tam magnum negotium, ut ab initio putaba
 mus relictum est: cum enim molestiarum, &

curarum, genera prorsus plura uiderētur, quā
 quæ breui compēdio transigi possent, mente
 diligentius adhibita, cognouimus plurima ex
 illis medicina non indigere: quod ea sibi spon-
 te homines accersant, qualia quidē quæ ob ani-
 mi præstantiam primo à multis uolūtariæ per-
 ferunt. ut. M. Attilii reguli, uiri Romani apud
 Carthaginenses pœna, quis enim talem homi-
 nem, etiam si uiuat, consoletur? quem non filio-
 rum pietas, præcesq; affinium, properantem è
 Roma ad cruciatum, retinere potuerunt. tales
 fuere in gentes martirum spiritus, Pauli, Ge-
 orgii, Laurentii, Catherine, aliorumq; penè in-
 numerabilium. Alia etiam sunt laborum gene-
 ra grata: quæ etiam imbelles non fastidiunt; ob
 iunctam aut gratiam, aut præmiū. sic regibus
 quidam ultro seruiunt, alii amantibus, alii stu-
 diis, alii negotiationi, alii magistratum gerunt,
 tantum uero abest, ut in his ærumnis discuti-
 entur: ut etiam inde amoti plurimum doleāt.
 Aliis sola spes uoluntarios educat labores: ut
 qui in heremo solitarii, in urbibus continēter,
 in claustris religiose uiuunt, summāq; exercent
 non tantum in orando, & abstinendo, sed & in
 parendo patientiam, quorum aliquibus si di-
 cas, cuius gratia id agant? respondebunt: pro-
 pter inexplabilem post obitum foelicitatē. Sūt

& qui grauia mala ob suauitatem, ut sibi putāt
 admixtam, libentius ferant: uelut rustici, qui
 sub æstu canis, ad tibiā saltant, quāquam &
 sole, & sudoribus, & labore præmantur, sic alii
 frigentibus pedibus alea decertant: & licet fri-
 gus urat, uincit tamen dolorem luxuria, longe
 etiam maiore uersantur incommodo, qui furti-
 uam uenerem cum capitis periculo sollicitant.
 & tamen omnia patiuntur, ut omnia agāt. Alia
 etiam sunt quæ quamuis mala uideantur, uel
 ob necessitatem naturæ, ut senectus, uel ob cō-
 parationem, ut fuga è carceribus, æquiore ani-
 mo feruntur: quæ enim tantum ante quā ad-
 fect, desiderata erant, cum uenerunt ingrata eē
 non debent. igitur si de his omnibus dicere uo-
 luero: ultra id quod fructum nullum pariam,
 tædium etiam atq; molestiam addam. melius
 itaq; de eis est solum dicere, quæ homines tan-
 quam mala, & fugiunt, & damnant. in eis tamē
 quædam etiam ex prædictis admiscere solent:
 quod non omnibus ex æquo iocunda eadem
 sint, aut tristia. præcipua tamen inter hæc, se-
 nectus esse uidetur, quæ quāquam calamitas
 nō sit (& qualiscunq; uocari possit) munitus na-
 turæ optatum, inuiti tamen plurimi eā ferunt.
 unde etiam Ciceronem de ea scripsisse curiosi-
 us uidemus. ut uero ipsa se habeat, & quāuis

uere inter mala numerari non possit, à nobis ta-
men non prætermittetur.

Sunt itaq; eorū quæ mala putamus: in uni-
uersum genera tria communium, & proprio-
rum simplicium, ac priorum sed multipli-
cium. communia quidem appellare solemus
mala, famē, pestem, euerسیونē patriæ, atq; eius-
modi conturbationes, quæ omnibus notis no-
bis, aut maxima ex parte, accidere solent. pro-
priorum autem simpliciumq; infortuniorum
duo sunt genera, alterum quidem uituperabi-
lium, ut si latro doleat, quod iugulandi quem-
piam occasio prærepta sit, aut etiam turpius,
uelut urfi fletus apud Papinium. reliquū ho-
nestum, & minime uitupatione magna dignū:
ut casus domus, filiorum mors. propria uero
atq; composita mala sunt: cū plura infortunia
simul hominem exagitant, quemadmodū de
Iob sacra scriptura commemorat. cui filii mor-
tui, greges armentorum direpti, domus euer-
sa, ipse ulcere scædo percussus. sunt enim q; con-
tendant, hominem quāquam ad unum calami-
tatis genus sufficiat, tot tamen, tantaq; mala, si-
mul ferre nō posse. De propriis igitur atq; sim-
plicibus uniuersaliter primo dicendum erit. tū
uero de his quæ ad luctum, mortemq; perti-
nent, seu propriam, seu necessariorum, in secun-

do libro, ultimo uero de cruciatu, seruitute, carcere, exilio, iniuriis, senectute, paupertate, de malis pluribus aceruatis, deque communibus dicemus. hic igitur à propriis auspicemur, ostendentes nihil omnino interesse ad bene, beateq; uiuendum: quàm quisq; fortunam subeat, sed omnem scelicitatis fructum, quemadmodum Plato ait, in uirtute esse, & ut Poeta dicebat.

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Verum ex initio mihi cogitanti, cum plura occurrunt: quorum uel unum si diligenter inspexeris, uidebis quàm frustra quisq; in aduersis torqueatur, atq; ut primo dicam quàm inanis sit hæc uita, quàm breuis quàm turbida, quàm futilis. quæ si ob miseriam deflenda est, tota deflenda est, ac Heracliti more perpetuo lugēda, at si quandoq; finis faciendus est, semper est faciendus, aut enim semper deploranda, aut nunquam. quid enim inter cætera miserius esse potest? quàm cum è lecto surgis nescire an iterum possis recumbere? cum recumbis, an iterum surgere? & hoc cognoscere, demum tot laboribus, periculis, curisq; esse expositum. tam imbelli corpore, tam enerui robore, tam incerta uita: ut æquidē non melius, ac pro rei qualitate, ab ullis gentibus homo nuncupetur: quàm ab hispanis, hunc eum umbram, sua lingua uocant: quòd certe

nihil aut tenuius, aut incertius, uita hominum
 fit: nihilq; umbræ ipsi similius, & ut sæpe me/
 cum reputo, (si admodum opinio hæc christia/
 ne legi non aduersarentur) dicere auderem, ma/
 lorum demonum animas, in hominum corpo/
 ra transeuntes, sceleris pœnas his dare ut nō ali/
 us esset à morte cruciatus expectandus, tantus
 est miseriarum nostrarum cumulus, ut nō nisi
 improbis, uel ab improbò Deo, uita hæc decer/
 ni possit. at cum uere ré ipsam intueor, uulga/
 remq; ac falsam hanc opinionem relinquo neq;
 hac in uita bonum aut malum ullum cernere
 possum, sapiētesq; reor scepticos illos Philosof/
 phos fuisse, qui omnia sola opinione constare
 putabant. enim uero qui mos, quæ lex, quæ opi/
 nio, tam certa est, quæ careat aduersantibus? nō
 tantum sibi inuicem, mihi crede, contradicerēt
 Philosophi: si res ipse de quibus concertant, ex/
 tra hominum opinionem essent, quis enim ni/
 si amens nigrum olorem, candidum dicat cor/
 uum? cum sensu res ipsa deprehendatur: at de
 bonorum finibus, ac malorum, Deus quanta
 uerba, quantæ contentiones, quot opiniones
 existunt. cæci festucam quærunt. quonam pa/
 cto rogo non dissentient inter se, cum res ipsa,
 à seipsa, tum ab ipsis aperte dissentiat, ut pote q̄
 nusquam sit. atq; ut mihi in mentem uenit, ap/

Posite fabulam, à Poeta antiquissimo confictã
 fuisse arbitror: quæ uitam humanam pulchre
 doceret. fertur enim cum Iupiter uniuersa quæ
 in orbe sunt fabricasset, celum, terras, maria, tũ
 beluas, atq; homines, diligenter animaduertis-
 se futurum esse, ut nisi hominum uitã suppli-
 ciis & præmiis pensaret: fore non solum, ut ho-
 mines ad omne genus flagitii impellerentur,
 uerum & ut deos cõtemneret. ea de causa Vul-
 cantum iussisse ut duo uasa ærea fabricaret, in
 quorum altero bona, in reliquo mala cõclusit.
 fecit uero ea pënata, ut ad mortales pro suis q̄s-
 q; meritis transmitti possent. at Pandora diua
 cum esset admodum cupida uisendi dolia, re-
 feratis operculis, cuncta mala, bonaq; euolare
 permisit: bonaq; per cœlos, mala autem usq; in
 tartara descenderunt: sola autem spes in malo-
 rum, & suspitio in bonorum doliis uelut illo-
 rum alimenta mansere. neq; enim uiuæ erant,
 nedum ut alatae forent. quod cum rescisset Iu-
 piter, ut est deorum maxime iracundus, uasa
 ipsa inania in terras deiecit. accurere autẽ mor-
 tales omnes, ob nouitatis studium, uasa uacua
 amplexantes, illi bonorum, alii uero malorum:
 at qui uasa susceperant uacua, nihil minus &
 bona, & mala, apprehendisse se crediderunt: ue-
 rum neq; bona, nec mala, ulli mortalium acces-

fere: sed illis quidem bonorum opinio, cum su-
 spitione, aliis malorum, cum spe contigit. ita fa-
 ctum est, ut quemadmodum in terris arabum
 qui nocte ferrum, aut aliam leuem ac frigidam
 rem præferint, examinantur, præ metu: quod
 serpentem calcasse suspicentur: quãquã re ipsa
 nihil subierint periculi, iacturę uero multo mi-
 nus: sic mortalium genus, boni, & mali, opinio-
 ne sola distorquetur, cum solũ apud superos
 bona, in tartaro mala sint: ea quę de causa Iupi-
 ter postmodum desuit hominum acta curare:
 uerum hæc quãquã fabula sit, non minus ta-
 men rectam bonorum, malorumq; originẽ do-
 cet: quã si ex ipsa academia profecta foret. At
 uero contra ut hæc uana & inania, ita alterius
 seculi certa, tuta, ppetuag; omnia sunt. ad quę
 nos æternus amor, per hæc quę uocamus tum
 mala, tum erumnas, uocat atq; iuxta propheti-
 cum illud (quia acceptus eras Deo necesse fuit
 ut tentatio probaret te) Deus nõ secus ac pater
 quos maxime filios probat, ac amat, omni gene-
 re continentię exercet. ab omni uoluptate co-
 ercet. admittentes aut turpia, aut probrosa ca-
 stigmat. at contra seruos, eosq; quanto magis inu-
 tiles, negligit: ut etiam scortari, & inebriari si-
 nat. tum uero foeliciorem illius serui uitã, quã
 filii, ac magis optandam dicemus: nõ in eas uo-

luptates admittetur, nisi omnis sceleris expertus,
 omnis flagitii purus: ac ut in fornace aurū, sic
 iusti uita in hoc mūdo per aduersa probatur.
 neq; tamen si ad eā spem uniuersa hæc seu bo-
 na, seu mala conferantur, granum in aceruo su-
 perabunt. quamobrē Paulus recte dicebat, non
 esse condignas huius seculi passiones, ad pro-
 merendam alterius seculi gloriam. itaq; si hæc
 fide quis amplectatur, non ne in aduersis gau-
 dio exiliet? in secundis uero tristabitur? illud
 in calamitate cogitans, iam probari se, futurum
 paulopost ut probatus eligatur. quod si in adi-
 piscenda laurea, tantum gloriaris, cum iam ten-
 taris, cūq; uicisti? & est illud præmiū leue, mor-
 tale, fragile, quid in perpetuo? maximo? ac tu-
 rissimo faciemus, tāta uero est huius solatii fœ-
 tunditas, ac robur, ut si in fide degeneres cum
 plurimi nō essent, iam absolutum esset uniuersum
 munus consolationis. quis enim breuem
 hanc uitam cum sempiterna? tristem cum iō-
 cūda? fragilem cum firma? infœlicem cum fœ-
 licissima? turbulentam cum clarissima commu-
 rare nolit sed est in incredulitate peccatum, atq;
 rursus in peccato incredulitas, ut nostra condi-
 tio, amplissimo & spei, & fidei, beneficio priuer-
 tur. quid enim homini aut utilius post obitū?
 aut in hac uita gratius esse posset? futuri secu-

li expectatione . at quamuis hæc etiam nulla
 foret: nihil minus in aduersis cōtristari nemo
 deberet , quod pleraq; hominum mala in bo-
 na etiam conuertantur. neq; ulla est tam firma
 mortalibus lex, quam quod nihil est firmum.
 neq; solum mala pluribus magno commodo
 extitere, sed etiam bona incommodo , at nunc
 hoc non est præsentis negotii ostendere, quã-
 quam etiam frequentius sit. De malis etenim
 sermo tantum institutus est. uix sufficiat liber
 hic, si uelim narrare quibus infortunia lucro
 fuere, neq; aliud magis puto sacram paginam
 uelle in beati Iob historia insinuare , quã eam
 fortunæ uarietatem , quam gentiles pluribus
 exemplis docuerunt , unico exemplo uoluisse
 comprehendere, siquidẽ Iob primo filiis, agro,
 gregibus, ualitudine foelix: post omnibus spo-
 liatus, amicos non auxiliares, sed repræhen-
 sores habuit. rursus meliore fortuna usus, co-
 piosius omnia recepit. tantæ sunt bonorum,
 malorumq; occasiões, ut nihil his incertius sit.
 Ventidio seruitus attulit consulatũ, ingentiaq;
 trophea: quæ sperari nullo modo poterãt, nisi
 Romanorum fortuna decidisset : at per serui-
 tutem uirtus hominis, & occasioni, & foelicitati
 coniuncta est: frequens nunc hoc apud bar-
 baros exemplũ, turcas si quidẽ, & olim apud
 eos qui

eos qui mamaluchi uocabantur, quid morbo
 mortalibus intolerabilius? profuit tamen hic
 Octauiano augusto plurimum, cum in actia-
 cis castris esset. monito enim medico ut se è ten-
 toriis subtraheret; causam salutis per somnium
 habuit: cui si citra malam paruisset ualitudinē
 turpissima macula ignominiae adiecta esset. ma-
 nenti autem, aut mori aut fugere necessarium
 erat. brutus enim ea parte prospere in eius ca-
 stra uictor se intulit. Habebat Plotinus, plato-
 nicus philosophus. Oruntium Marcellinum
 discipulum qui morbi tedio ad eum se contu-
 lerat, podagricus enim erat, & articulorum do-
 loribus grauiter conflictabatur: audiebat autē
 attentissimus, mira etenim illi Philosopho orā-
 di suauitas erat: inde ciborum penē oblitus, &
 Philosophiam studio, & ualitudinem abstinen-
 tia recepit. sic morbus eruditionem, pariter &
 sanitatem dedit. animi equidem uirtutibus ad-
 uersa corporibus ualitudo planē cōducit: hos
 temperatos, illos mitiores, alios redit religiosio-
 res: corpori uero etiam plerunq; utilis est: inde
 plures in ualido corpore ad senectam perueni-
 unt, quā robustissimi, tanta uero est rerum
 uicissitudo, ut quemadmodum in cerui cauda
 uenenum latet praesentissimum, cum alioquin
 tota caro sit saluberrima, at contra tirus serpens,

cuius uenenū mortalibus est perniciosissimū, carnem habet omni alia medicina aduersus uenena utiliozem. Paulus huius nominis Pōtifex tertius Maximus, uir sanè eruditus, & ad summum sacerdotium non ineptus, magnum tamen auxilium ad consequendam tantam potētiam, ex opinione senectutis, & aduersæ ualitudinis consecutus est. Spartacum olim ad ludū gladiatorium condemnatum, gloriosum nunc at dum uiueret etiam Romanis formidabile, maxima calamitas effecerat, & nunc fama latronis illius uiret, cum plurimorum regum exciderit. habet & præter reliqua omnis inſœlicitas ut ſuauiozem uitam cum abierit relinquat. q̄s nā capit uoluptatem in incolumitate? nisi qui æger fuit. quis in patria? nisi qui olim exul? q̄s ſœlix in diuitiis? aut uel nouit eas? nisi qui expertus est paupertatem. cur tantum ſenes filios tunc primum natos diligunt? nisi quod iā diu filiorum uoluptate caruerint. Legimus egrate Ageſilaum Lacedæmoniorū regem, uirū grauem tum ſapientiffimū, tum ſeueriffimū uſq; ad ineptias amaſſe filios. Qualis ſalis aſpitas in condimentis, talia uitæ mala, præfertim ſi non ſint diuturna. Vnde & Virgilius optime inducit Æneam ſic Solantem ſocios.

O paſſi grauiora; dabit Deus his quoq; finem,

Vos & Scyllæam rabiem, penitusq; sonanteis
 Accestis scopulos: uos & cyclopea saxa
 Experti. reuocate animos, mœstumq; timorẽ
 Mittite. forsan & hæc olim meminisse iuuabit.

Quid iter tot egregie res gestas Cicerõni exi-
 lio plus profuit? in quo & publicata bona, &
 euerfa domus, & interdictus commetus. tunc
 solum sensit quàm gratus esset ciuibus, quàm
 urbi necessarius, quàm amicis carus: & si desisset
 ineptire, nihil ei splendidius accideret in uita:
 inde in reditu potētissimus euasit. Est & aliud
 consolationis genus, in omni aduersa fortuna,
 non leue: quod à necessitate proficiscitur. siue
 enim feras, seu non feras, ferendum est tamen:
 neq; aliud tristitia efficit, quàm quòd grauior
 res molestias uideri facit: mœtemq; è recto con-
 filio deiicit: inde spem leniendi doloris, nedum
 tollēdi ifortunii aufert. Quid porro boni, aut
 auxilii, luctus, lamentatio ue, aut desperatio af-
 ferre potest? equidem illud cum in tua potesta-
 te positum sit, aut lenire dolorem, aut augere,
 non solum prudentis uiri est, sed & melius re-
 bus suis consulentis, leuiorem efficere molesti-
 am, lætoq; animo aduersa ferre, illud frequen-
 ter memorando: *Animus æquus, optimum est arumnæ con-
 dimentum.*

Quid tibi prodest animi moeror? ac dolor? sæpe etiam fortibus uiris, ipsa patientia auxiliū attulit: miseremur certe illorum magis, qui fortiter quæcūq; ferunt: ac infontēs iudicamus, q̄ tantam etiam in calamitate uirtutē ostendunt. Agis lacedemoniorum rex, cum ab ephoris (id magistratus nomen erat, etiam regibus imperantis) ad mortem laqueo in dicta causā traheretur: plorāti cuidam ministro è suis, dixit, Desine ò homo flere propter me, nam adeo iniuste, & inique moriens, melior his sum qui me interficiunt, cūq; hæc dixisset, sponte se strāgu lauit. at uero etiam sæpe generosus animus, misericordiā meruit. Sceuola cū decreuisset Porcenam regem occidere, uoluntaria & audaci cōfessione, liberatus est: qui si negasset, ueniamq; orasset, ultra dedecus, etiam acerbam mortem subiturus erat. Lucilius captus pro M. Bruto, seruius Terentius pro D. quāquā in Antonii manus inciderint, & uitam, & amicitia hostis, constantia magis, quā præcibus meruerunt. quid plura? & in hostibus, & in seruis tolerantia, & in pessima fortuna bonus animus, laudē semper, sæpius etiam auxilium peperere. deniq; illud concludendum est quod cum sola animi conscientia, molestiaq; infœlicem hominem reddere possint, illum sibi pessime consulere, q̄

animum infortunio subiicit: ex quo liberum totum hominem esse licet, totus enim homo, animus est: is si doleat, homo male se habet, etiã si uniuersa recte cedant: at si hominis animus iocundus sit, nihil est mali, etiã si uniuersa ruant memini quendam ditissimum insanisse: captantemq; paleas, ac plorantem, quod fame eēt interiturus: nihil enim tritici, in inanibus stipulis esse: nō ne miserrimum illum sola animi tristitia faciebat, alius se cum uitreum esse putaret, singulis momentis timebat abrumpi: nonne hic absq; calamitate? in maxima calamitate erat. Sed sunt etiam qui sibi malorum causam præbuerint, non solum animi uicio, sed errore, quos etiam æquiore animo longe pati aduersa decet, ac uelut pueri, si sibi manus mordeant, etiam grauius, silent, si alius uel leuiter leserit, plorant, ut uero non decet pueros imitari, turpe tamē est illis nos esse imprudentiores, ac inconstantiores. quid enim stultius potest cogitari, quàm seipsum ledere, & deinde dolere: quā potius ut poeta dicit.

Leniter, ex merito quicquid patiare, ferendū est;
Quæ uenit indigne, poena, dolenda uenit.

Quid autem merito magis, nobis contingere potest? quam id cui nos seu per imprudentiam, seu per metum, aut temeritatem, aut etiã

quod est deterius, per intemperantiã, causam
 dedimus. cur autem queraris? cum non alium
 de malum suscitatum sit? aut aduersus quem?
 cum tu tibi fueris inimicus: aut quem ulcisce-
 ris? nempe te ipsum. Est autem, si rectè animad-
 uerteris, omnium malorum plerunq; in nobis
 causa. hocq; in libro de arcanis æternitatis quã
 quã aperte ostensum sit: nihil minus, quantum
 huic causæ necessarium uidetur, denuo demõ-
 strandum erit: neq; hac ipsa demonstratione in-
 digeremus, si homines non nimis seipsum ama-
 rent. Cum enim quicq; quantumuis rudes, plu-
 rimum sibi sapere persuadeant, euentus bonos
 in propriam prudentiam, sinistros autẽ in for-
 tunam referunt. neq; fortuna illis satis fuit, que
 accusaretur, malum genium, & demonem ob-
 scurum etiam subiecerunt: in quo genere prin-
 cipes etiam priuatis longe stolidiores sunt: q̃
 non tantum insita omnibus hominibus labo-
 rent amentia, sed singulis horis aures adulato-
 ribus præbeant: qui dona deorum, sapientiam,
 in his admirentur: quorum maximum studiũ
 est, ut nihil prorsus sciãt: neq; enim gnathones
 illos aliter alerent. Quã melius igitur mortales
 cuncti, scelices euentus in Deum, aut si pudet
 in fortunam referrent: aduersa in petulantiam,
 socordiam, ac imprudentiam propriã. Vis ue-

ro te primum agnoscere quā sis imprudēs: q̄
 prudentem te ipsum existimas. Socrates q̄ A/
 pollinis oraculo sapientissimus est iudicatus,
 hoc tantum unū scire se dicebat, quòd nihil
 sciret; tu cum nihil scias, scēminarū more, Mas/
 sagetas, & Indos, & cœli penetralia loq̄ris. Pto/
 lemęus ille inclytus Astronomus, dicere soli/
 tus erat, eum qui sibi placeret, Deo inuisum es/
 se. is sibi placet, qui prudentem ac sapientem se
 putat: omnia uero in proprium commodum
 uertit. Tales sunt pleriq̄ mortalium. inde q̄sq̄
 sibi mala parit, & fortunam, & dæmones accu/
 sat. At iam ex proprio paululum secesseramus
 instituto: nempe probandum est potius, quā
 arguendum, nos nostrorum malorum causas
 esse, & si ad uniuersa malorum genera inspici/
 mus, sic se habere res uidetur. Quis tam immi/
 tis tyrānus, ut in humiles & innoxios sæuiat?
 quis tam pauper artifex, ut uictum quærere
 non possit? quis tam atrox, ut in mites ac pru/
 dentes irruat. est prudentis uiri obseruare tem/
 pora, homines, potentiamq̄; illorum, cum qui/
 bus uersaris. Fuit Nero crudelis: Vespasianus
 tamē inoffensus non tantum mansit apud eū,
 sed & magistratus gessit. fuit & Tiberius in su/
 os ferus: Thrasyllum tamē mathematicum per/
 petuo ab exilio amicum habuit: & grammaticum

eos cum plures illud uero tutissimum est cū
 in has truculentas bestias inciderimus, ignotū
 esse. Est autem firmissimum argumentū, absq̃
 propria culpa, raro infœlices homines fore qđ
 cum reliquæ uirtutes, aut è mortalibus disces/
 ferint, aut contemptui habeantur: sola inter om
 nes prudentia, semper propriam retinuit digni
 tatem. nām iustitiam, fidem liberalitatē, huma
 nitatem, non aliter quàm peregrinas quasdam
 aues, admiramur: cum etiam plerūq̃ male ce
 dant fortitudo frequentior, sed omnibus expo
 sita periculis, iacturam magis quàm fortunā tan
 dem affert. eruditio ipsa ludibrio est, & nullis
 non lacescentium iniuriis exposita at prudenti
 a, quasi diuinum quiddā munus, inter mor
 tales cum ueneratiōe cohabitat. hęc reges quæ
 runt, populi admirantur, plebs laudat, undiq̃
 & utilis & necessaria, itaq̃ si prudentia caruisti
 non est quod quæraris: offenditur autem pru
 dentia pluribus, ut etiā ualetudo causis: ira uo
 luptate, ignauia, stupore, amore, ambitione, aua
 ritia, deniq̃ omni uitio animi prudentia lædi
 tur, stultissimum uero puto uelle eos solari, q̃
 seipsos ex animi impotentia in calamitates tru
 dunt. ut in obscenis uoluptatibus, in precipi
 tiq̃ uindicta. sunt enim quidam qui non secus
 ac mugiles, cum in esca hamū latere agnoscant:

gulæ tamen impatientia, aut ueneris, aut alterius uoluptatis, manifestis discriminibus se obiciunt, callide enim fertur mugil (uerum tamē stulte) cauda elidere ex hamo escam: etsi minus liceat, summis labris arrodit. quorsum tanto periculo, parasiticam exercere, cū secure aliter uiuere possis: sed his beluis insulsiore, nedū præ importunitate escam excutere sustinemus: quod igitur habet hæc amaritudo doloris, quàm tanta uoluptatis dulcedo irritat. at uelim & uoluptatibus indulgere, & carere doloribus, si hæc se tangit molestia, insanis, impossibilia omnino quærens. etenim omni uoluptati, sua amaritudo coniuncta est: gloriæ inuidia: sapientiæ labor: diuitiis curæ: soboli sollicitudo: intemperantiæ morbi: quieti paupertas, ambitioni odia: potentiæ metus: tranquillitati contemptus. quæ nam tãdem mortalibus rebus exitus patet. Est uero & illud in moderanda tristitia suauissimum, quod omnes homines, aliquo laborant infortunio: & ut dici solet, quisq; suos patitur manes, alium nempe paupertas, alium orbitas, hunc morbi, illum timor, alium iniuria, hunc insidiæ, illum filii, alium uxor, alium inimici discruciant. quod quæ maius his omnibus est, ac admirabilius tanto pronior est humana conditio ad calamitatē, ut hoc etiã calamitas sit esse quã

foeliciffimum, ac nulli omnino dolori obnoxium. Quãobrem ferunt Polycratem, foelicitatis fatietate, annulum in mare proieciſſe, ut haberet quod doleret: erat enim ei cariffimus: uerum fortuna ilico expiſcato piſce, annulũ iterũ ei reddidit. Sed ne omnino fabulari i hoc genere uidear: quam uoluptatem in prandiis capiunt reges? quòd ex conſuetudine palatum ſaporum delicias non ſentiat. referunt medici, delicias eſſe, cum quis ex trifti ſenſu in propriam redit naturam: quonam modo igitur qui omni caruit moleſtia, foelix eſſe poteſt? Vides quã beati ſint pauperes, cum ad diuitum cœnas inuitantur: quãnam cauſa eſt, cum nihil pauperibus melius apponatur? nulla nempe, niſi nouitas rei. non poteſt igitur homo beatus eſſe, abſq; calamitate, nec iocundus abſq; moleſtia. In his igitur incommodis non unum hominẽ ſocium habere, ſed uniuerſum humanum genus, nõ ne plurimũ confert: ac ut uulgo diciſ, Miſerum eſt ſolatiũ, habere calamitatis ſociũ.

At quanto præclarior erit tua conſolatio, ſi intelligas non fortuito mala undiq; , ſed etiam pro bonorum magnitudine, unicuiq; contingere: atq; ut id primò à genere rei exordiar: nihil tam pulchrum eſt, quã res pub. recte inſtituta: at nil tam durum, quã in ea eſſe. ab initio

talis fuit Romana, & his ordinibus imperium
 uniuersi adepta est. sed quid asperius his insti-
 tutis, in quibus ciues, ad laborem, prole, & mi-
 litiam tantum instruebantur. horu labor (præ-
 sertim rusticus & assiduus) solo ipso noie gra-
 uis est. Educatio filiorum, præcipue multoru,
 & inopi, omnem molestiam superat. nã ut gna-
 ti pauci in deliciis habentur, sic multi pauperi
 bus tedium omni mortali cura grauius effici-
 unt. militia quid atrocius? fossas fodere, uallu
 gestare, hyeme inter niues dormire, æstate sub
 sole exerceri, noctes insomnes agere, maria, mō-
 tes, atq; omnia inuia superare, modo fame urge-
 ri, modo siti enecari, deniq; occidere, aut occidi
 ipsa miseria hæc omnia miserabiliora sunt: ut
 non mirandum sit, tam lato animo signu pu-
 gnæ expectasse semper milites: ut uel uictoria
 læta soluerentur, uel morte maiores ærumnas
 finirent. Sic Lacedæmonii tam tristẽ domi age-
 bāt uitã, ut nunquam in castris esse tæderet. ap-
 paret itaq; in bene istituta republica, homines
 esse incoelices: beatos uero ciues, miseram reipu-
 blicæ conditionem ferre. Reges uero, quos ho-
 mines diis simillimos, stulta cogitatione effici-
 unt, atrocioribus furiis agitantur: ut nō inele-
 ganter tragici Poetæ, in regum tantum domi-
 bus & furias, & tragoedias finxerint: tum uero

in priuatorum, comedias. patet enim aula regū
 ingentibus malis, neq; eam unquā tartari mon-
 stra deserunt; inuidiæ, odia, similitates, uenena
 cruciatus, omnium uero quadā sedes animus
 ipse principis est; quem nec diurna quies, nec
 nocturnus somnus tranquillum permittunt,
 hinc memoria scelerum, hinc suspitio familia-
 rium, illinc populorum & regum reliquorum
 timores, infidiæq; in alios paratæ, noctes diesq;
 ppetuo obuersantur. sed sit iustus, sit sanctus,
 qui imperat: metus abesse non potest, ac ut de
 Ixione, & Lapithis poeta fingit.

Quos super atra filex, iam iam lapsura cadenti
 Imminet assimilis, lucent genialibus altis,
 Aurea fulcra toris, epulæq; ante ora paratæ,
 Regifico luxu furiarum maxima iuxta.
 Accubat: & manibus phibet cōtingere mēfas.
 Exurgitq; facem attollens.

Ea est conditio principum, quā maxime
 nouerat Virgilius, in illa Augusti quāquā foeli-
 cissima aula obuersatus. sed paululum ab illis
 deflecte, in priuatorumq; uitam descende: quē
 nam reperitur, sis ab omni infortunio liberū,
 non uideo: cum maxima diligentia quosdam
 tanquā rinocerotes Plinius in historia uenare-
 tur in toto orbetatq; longissimo æuo: tandem
 nullum inuenisse fatetur. si igitur mortales cū

Etos, iam intelligis aliquo infelicitatis genere
 præmi? quis tu es, qui solus euadere cupis, ab
 ea lege, quæ neminem præterit. cur non te &
 immortalẽ factum? & uniuersi orbis regẽ?
 & uolucrem? & inuolabilem, doles quãdo qui
 dem pro eximia aliqua causa magis dolendum
 est. quod si hæc æquo fers animo, quod natu-
 ra aliter fieri non potuit, idem in hac lege quæ
 non minus uniuersalis est reliquis illis, facien-
 dum putã, ac iuxta fabulam illam, tanto mino-
 ra detrimenta tua existima, quãto aliorũ sunt
 maiora: ferunt enim aliquando lepores, desper-
 ratione quod ab omnibus animalibus persecu-
 tionem paterentur, destinasse se in flumen pro-
 ximum præcipitare: gregatim autem cum ad
 rem exequendam progredierentur, sentientes
 ranæ, quæ in ripa erant fluminis, timore perciz-
 tæ in aquam profiliunt: quo audito strepitu,
 lepores rem intelligere studuerunt: cum uero
 cognouissent ranas earum metu aufugisse, con-
 silio inuito, decretum mutauerunt: ea ratioẽ quod
 ranæ quãquam ipsis essent inferiores, nihil mi-
 nus uitæ confulerent, & nunc usq; seruantur
 lepores, mihi hercle aliorum mala, nunquam
 minus difficiles fortunæ casus fecerunt: uerũ ne-
 cessitas malorum ipsa, quæ ex cæterorum om-
 nium incommodis dignoscitur: maximũ ærũ

narum lenimentum extitit. cum enim cogitat quisq; hæc nō ab iniuria, sed à lege naturæ dāna mortalibus proficisci, æquo cuncta feret animo, nisi omnino uecors sit, aut stolidus. Itaq; cum iam diu antea sapiens multorum malorū necessitatem præuidet: in omnibus autem conditionis, ac fragilitatis humanæ meminit: bono animo uentura quæq; mala expectat. Cum igitur iminent, parem ostendere fortitudinem decet: ne mutatus ob præsentiam illius à tam honesto proposito, aut impræmeditatus accessisse uideatur. Illud etiam considerare expedit, quòd omni dolori, tēpus est medicina: ipsum luctus extinguit, iniurias obscurat, detrimenta obsoleta facit, deniq; ad omne mali genus & obliuionem, & incuriam affert. quis enim tam impatiēs amoris inuenitur, qui filium iam annis triginta amissum, aut substantiam perditā deploret, aut lugeat? Temporis hæc sunt uices ut gaudia & mœrores extenuet primo, dein atterat, tandem penitus deleat ex animo. qđ igitur omnibus quantumuis rudibus temporis auaritia eripit, tu id utilitatis tibi met ilico præsta: quodq; mox æui beneficio facturus es, id constantiæ, eruditioni, ac moderationi, exemploq; bono, ac laudabili condona: fingeq; tibi iā hoc tempus præteriisse, melioresq; spes tuas

ante te colloca. reminiscere quot uiri illustres,
 & immerito, & crudeliter à fortuna iactati, sæ/
 uos eius fluctus æquo animo tolerarunt. Ni/
 hil est magis sapienti necessarium quàm mode/
 rate utrâq; fortunam ferre. qui enim secundam
 non potest, obliuiscitur se mortalem esse: q; ad/
 uersam, hominẽ. Nullum etiam prudentiæ ar/
 gumentum maius, quàm ea extẽplo facere, quæ
 recte alii temporis beneficio didicerunt. itaq;
 noli tibi grauis esse: atq; cum in umbram cala/
 mitatis incideris, te ipsum in ueram infœlicita/
 tem iniicere. Cogita in singulis malis plures fœ/
 lices inuentos esse. omnium uero consolationũ
 fidelissimam, ac firmissimam, tempus ipsum ex/
 hibet: nõ illam quam nuper explicauimus, sed
 eam quam Auerroes aliũq; Philosophi ostende/
 runt. Cum enim illud consilio exploras, quòd
 uita hominis, si ad æternitatem ipsam compa/
 retur, puncti uicem obtinet, atq; quæ in huma/
 na uita omnia, & tam breui curriculo tẽporis,
 & tam certa lege finiũtur, ut prorsus nihil om/
 nino iterfit, qualisne fueris, & an etiam fueris:
 & mihi cũ de his cogito, illud succurrit, quòd
 in libris uulgaribus homines quidam fingun/
 tur opulenti, potentesq; heroes, ac uiri tam for/
 tes, ut Herculem lōgo uincāt interuallo. quid
 uero inter hos fictos uiros & Cæsare, ac Pom/

peium interfit, nunquam intelligere potui: nisi si uel ad eruditionem nostram, historia à fabula distinguatur, uel animorum superstitum ratio habeatur, cæterum cum amplius non fueris, qui fueris nihil penitus refert. sola hominum stultitia & hanc commenta est inuentionem, ut non tantum in uita, sed etiam post mortem aliorum iudicio, & scelices & in scelices efficiamur. plurimum uero uideo quosdam esse sollicitos, ut nomen, ut diuitiæ, relinquuntur post mortem: & ea insana libidine Herostratus Dianæ ephesiæ templum incendit, ut nomen eius etiam in scelere agnosceretur, sed quæ modo est hic Herostratus? quo patre genitus? qua matre? qua patria? qua forma? qua uita? quid hoc aliud est sic scire, quàm nihil aut scire, aut nomen hominem uel fictum, quid igitur infra trecentos annos, etiam si gloriam obserues, refert, an beatus an omnino in scelices fueris, at si gloriam subducas, quid uel ad summum post annos quinquaginta, inter regem & rusticum, inter Lucullum & Irum, inter Xenophontem & Cleonem, denique inter seruos & liberos scelices & in scelices distat. at uero tempus hoc, quàm cito, quàm necessario præteribit, id ne forte dubitas, ne tempora hæc morentur, aut siderum cursus alligetur, quàm recte ille sculpsit in gemma, quis quis

quis argumenti inuentor fuit, trigeminam faciem simul, infantis, iuuenis, & senis. nihil celestius ea mutatione, nihil his uicissitudinibus coniunctius: ac ut Poeta ille, recte fugitiuam aetatem uocauit. cogita quot ab initio rerum anni transferint. qui iam ex aetate tua dilapsi, ut umbra, uel ocus tempore nihil esse ostendunt. finge igitur quod certe erit, dilapsa iam nunc tempora, omnia in nihilum redigi comperies. Illud enim non absimile his, qui in carceribus cum certa salutis spe detinentur. quamquam enim in malo, parum dolent: praecipue si ingenio generoso sint: sic homines in hac uita aeternosa, cum certam aequalitatem expectent, uix puto fieri posse, ut foelices infœlicibus non magis contristentur. Eodem si nunc principis edictum promulgetur, ut quemadmodum Lycurgi Lacedaemonii aetate, omnes opes, omnesque agri, ex aequo diuidantur, distribuanturque: an putas pauperes, & mendicos, an diuites in tristitia futuros? hercle nulli in mentem incidere posse spero, ut diuites latentur, inopes iniquo ferant animo. Si igitur iam haec aequalitatis lex lata est, & quae nullo modo possit frustrari: non uideo cur omnes, quot quot in miseris uiuunt, tam iusto legis beneficio gaudere non debeant. Quid rogo tibi erit, hic ad annos ducentos, an cum sobole,

an orbus? an senex, an iuuenis? an diues, an pau-
 per? an seruus, an liber? an in lecto, an in patibu-
 lo? an in magistratu, an absq; honore uel uixe-
 ris, uel mortuus fueris? sed addit has opiniões
 stultitia, qua solum miseri, & beati fimus; nem-
 pe illa obliuionem rationis inducit, gigantes
 pro pygmeis ostendit, modo mala nostra, mo-
 do bona tegit, auget, multiplicat, obscurat, ab-
 scondit: pro ut libet de nobis statuit. Verum si
 quid omnino in hac uita bonum est, aut malū,
 discriminē ue ullum iocunditatis, ac tristitiæ: id
 totum in conscientia, & animi uirtute collocan-
 dum est: nempe flagitiorum & scelerū memo-
 ria, omni supplicio maior est. cor enim impio-
 rum (ut Propheta dixit) tanquā mare feruens
 fluctuat: illorum semper animus & diris uexa-
 tur imaginibus: cum nullorum sit maior cru-
 ciatus, quā eorum quorum cōscientiam cul-
 pa coarguit &, ut ait Poeta:

Quos diri conscia facti.

Mens habet attonitos, & surdo uerbere cedit,
 Occultum quatiens animo tortore flagellum.
 Poena autem uehemens, ac multo sæuior illis.
 Quas & Seditius grauis iuēit, & Radamāthus
 Nocte, dieq; suum gestare in pectore testem.

L I B E R S E C U N D U S . 18.
HIERONYMI CARDANI C.

MEDICI MEDIOLANENSIS DE

Consolatione, Liber Secundus.



CVM in præcedēti libro, de omnium calamitatum consolatōe, Copiose (quātū generaliter fieri potuit) differuerimus: uix necessaria singulorum malorum consideratio uidebatur, cum satis ex animo cuiusque sapienti recta ratio & consilium prudens, tum oratio nostra, tristitiam omnem eripere potuerit. Verum cum id iam ab initio sit à nobis institutum, ut singula diligenter aduersa, quæ hominibus contingere possunt, absque affectu aliquo consideraremus: rectoque iudicio pronuntiauerimus: id etiam magis necessario facturi uidebamur, quòd nemo existimet ea quæ prætermissa essent, consulto potius quoniam probari nequeant, quàm quòd superflua forent, intacta relicta esse. Habet etiam hæc malorum historia, & ob uarietatem, & ob exemplum non leuem uoluptatem, qua legentium eam tristitiæ sorde, quæ à sensibili anima, tum à natura ipsa in grauibus infortuniis relinqui solet, eluere possit. Sæpenumero enim etsi ratio nos cōsoletur.

doceatq; neq; luctū conuenire, nec causam esse
 luctus ullam: animus tamen per se moestus læ
 rari non potest: quòd cum frequenter etiam
 sine ulla aduersa re incidat, quàm uerifimilius
 est iam longo tædio tabescentibus, etiam si uul
 nus ipsum acceptum curetur, derelinqui. Itaq;
 ut ad propositum iā sermonem reuertamur,
 omnium quæ in humana uita contingunt, lu
 ctus, atq; mors sunt acerbissima. priuari etenim p
 petuo, atq; sine spe, charissimorū consuetudi
 dine, durissimum omnibus uideri solet: mors
 uero ipsa, ut Philosophus dicit, ultimū est ter
 ribilium. Ea propter si quid est quod fortem,
 quod sapientem perturbare uirum possit, id
 haud dubio mors, & propria, & maxime neces
 sariorum esse debet. Quamobrē egregios Pœt
 ras luxisse, tum suos, tum uero seipsos, ac etiam
 alios finxisse lugentes necessarios uideo: inter
 quos Papinius patrem deflet dicens:

Da uocē magno, pater, ingeniumq; dolori.
 Nam me ter relegens cœlo, terq; ora retexens
 Luna uidet residem, nullaq; Heliconide tristes
 Solantem curas.

Alius in eadem causa:

Quis dabit in lachrymas fontem mihi? quis
 fatis altos
 Accendet gemitus, & acerbo uerba dolori?

Exhaurit pietas oculos, & hiantia frangit
 Pectora, nec plenos auidū finit edere questus.
 Magna adeò iactura premit.

Vtinam uero querela hæc, non sit ea quæ
 uulgo dicitur, fletus hæredis sub psona riden/
 tis est: nam tam rara pietas erga parentes inue/
 niri solet, ut nulla non sit frequentior: sed talis
 modo sit, qualem carmina exprimūt. Certe nul/
 la in parte minus necessarius uidebitur hic li/
 ber, quàm in consolatione doloris, qui ex parē/
 tum obitu contigerit. nempe fratrum, qui se
 morti exposuerint propter fratres, tum paren/
 tum ob filios, coniugū ob uxores, aliqua sunt
 exempla: filiorum autem erga parentes pietas,
 nullo pene experimento confirmata est. quo fit
 ut querela Catulli, magis ex animo (ut dici cō/
 suevit) profecta uideat. sic enī fratrem deplorat:
 Sed totū hoc studiū, luctu fraterna mihi mors
 Abstulit: hei misero frater adempte mihi.

Tu mea, tu moriens fregisti commoda frater.
 Tecum una tota est nostra sepulta domus.

Imitatur acerbiolem lamentationem, non si/
 ne ira, & animi indignatione in Mezentio de/
 flente filium occisum. Virgilius dicens:

Debueram patriæ poenas odiisq; meorum.
 Omnis per mortes, animā fontē ipse dedissem.
 Nunc uiuo, neq; adhuc hoies, lucēq; relinquo.

Sed inquam.

Quanto tamen atrocior dolor, ab eodem Poeta in matre plorante Eurialum filium unum eum fingit: quod & uidua etiam esset, & senex: illum uero crudeliter in hostium manibus occisum uideret: tum uero & foemineam animi molliciem amplectitur, his uerbis:

Figite me, si qua est pietas: in me omnia tela
Coniicite ò Rutuli: me primam absomite ferro.
Aut tu magne pater diuum miserere, tuoq;
Inuisum hoc detrude caput sub tartara telo.

Haud poterat cades filii, à matre deplorata,
meo iudicio à Poeta melius explicari. Inducit
& Homerus satis grauiter Achillem, in Patrocli amici funere dolentem, cum dixit:

τόνδε ἄχεος κέφῃ ἐκάλυψε μέλαινα,
ἔμφοτέρῃσι δὲ χροσὶν ἔλῶν κόριν ἀιθαλόεσσαν
χεύατο καὶ κεφαλῆς.

Et infra:

ἔμερδαλέον δὲ ὤμωξεν.

Eo usq; autem inducitur dolor uehemens,
ut familiares timeant, ne se ipsum iugulet. Sed
moderatus alius in morbo mortem luget suam,
atq; de fati conqueritur, non ficto in aliis timore,
sed proprio ac urgente dicens,
Ergo sub annos præuirides mihi
Soluetur atro sanguine spiritus?
Nil est reluctandum superis. lubens

Quod fata annuerint, sequor.

Sed dum aliorū inanes has ineptias describo, iam nāniam quandam confecisse uideor: soloq; nomine tristem luctum, non tantum descripsisse, sed auxisse. Non poterat tamē res ipsa dilucide explicari, nisi etiam poetarum sententiam adiecissem: quòd ea sit uulgaris opinio, non solum quòd poetæ ea curent dicere quæ sunt popularia: sed etiam quòd si secus uelint dicere, haud possint, cū ab omni philosophiæ studio sint remoti. Quā etiam ob causam, à Platonis rep. excluduntur. oportet autem in hoc aut Platonem damnare, si iniuria remouet; aut poetas, si iure merito. melius igitur sanè censendum erit, non immerito explodi. namq; cum populo sentientes, ea dicunt, quæ in opinione rudium sunt. nemo enim negat, paucos esse sapientes, uulgus autem maximam hominū continet partem: opiniones igitur poetarū, ac uulgi, in quibus à philosophis discrepant, omnes falsæ sunt: & inutiles. etenim cū necesse sit, opinionem uulgi falsam esse, si sapientum sententia uera est: at quis dubitat an sapientum dicta uera sint: sapientes enim aliter non essent. sed si modo ulla in re exigua fides poetis habēda est, nusquam minor quā in his quæ ad mores & uirtutes pertinet est exhibenda. Nec mirum si

Archilochus poeta egregius, sed tãto deterior philosophus, à Lacedæmoniis, eadẽ hora, qua in urbem uenerat, solum uertere coactus est: quòd scripsisset hanc sententiam:

At caruisse armis, quàm mortem occumbere præstat.

Enim uero bonos mores persæpe corrumpunt colloqa mala. itaq; de luctu ac morte uolentibus dicere, primo necessarium uidetur explorare, an in morte seu propria, seu necessariorum, aliquid mali sit: & si sit. an malum à bono, seu potius iactura ab utilitate uinci queat: id facile erit diiudicare, si primo hoc distinxerimus, atq; diligenter intellexerimus, utrũ aliqd post mortem nostram, ex nobis, præter corpus supersit: an omnino etiam cum corpore, reliquum totũ extingatur: in qua causa etsi plurima in libro de arcanis æternitatis iam dixerimus, in libris autẽ de morte dicturi simus, non tamen hic ex toto silentio obliteranda uidetur hæc quæstio: sed quemadmodum maxime in hoc libro ueritatẽ studemus, tum uero ubiq; breuitati, sic unica ratio nobis, de rationali anima, ad eius qualitatem dignoscendam satisfaciet. Cũ enim intellectiuus sit homo, multos habet cognoscendi habitus: scientiam scilicet, uelut geometriam, philosophiam, & diale-

Eticā: & artes, uelut nauigandi, arandi, et medēt
 di: itemq; intellectum, qui est principiorum:
 uelut q; totum omne parte sua maius est, om-
 nibus autem partibus æquale: habet & prudē-
 tiam, qua cuncta tuetur agenda, ac disponit: &
 cum his sapientiam, qua Deum agnoscit, reli-
 gionem colit. Alii autem in horum uno, aut al-
 tero, aut pluribus magis excellunt: quo fit, ut
 in artibus suis quicq; intellectu, & ratione adeo
 utantur: ut quāquam rudes in aliis rebus uide-
 ri possint, in hoc uno tamen etiam claros uiros
 antecedant. Alii cum doctrina, & artibus care-
 ant, prudentissimi tamē ob exercitationē sunt:
 ut non obscurum sit, humanum intellectum,
 omnibus natura similem, at exercitatione sola
 differre: id quod nos & in barbaris, & in rusti-
 cis animaduertimus. Vnde quorundam homi-
 num sapientiam profitentium ignauiam admi-
 ror: qui literis præditos, solum rationales exi-
 stimant, cæteros parum à brutis differre. Nec
 immerito igitur contingit, quod & uulgus di-
 ctitat, ut totum oppositum eueniat: scilicet ut
 isti eruditi, extra illam suam eruditionem, om-
 nino nihil sciant, & à quolibet imperito facile
 decipiantur. Si namq; hoc secum reputarent:
 omnes homines (nisi qui morbo aliquo detine-
 antur) intellectu, & ratione pollere, eoq; magis

in uno, quanto ab alio exercitationis genere re-
 moti sunt: non incauti ab illis superarentur.
 Quàm multi, relictis uilibus officiis, clari eua-
 serunt philosophi: inter quos, ne lōgius digre-
 diar, Simon coriarius, cum ad eius tabernam
 Socrates frequentius uentitaret, cum discipu-
 lis domesticos habens sermones, in clarum eua-
 sit Philosophum, monumenta q̄; posteris non
 pauca reliquit. qui igitur coriarius fuerat ante,
 sola exercitatione fit Philosophus. Non cōtem-
 nenda igitur eruditio artificum, & cæterorum
 literis carētium, tanquam ab intellectu aliena:
 sed, ut dici solet, Quantum ab Athenis Mega-
 ræ, tantum à Megaris Athenæ: sic quantū eru-
 ditus, loquendo artificem uincit, tanto artifex,
 sua cogitatione præstat erudito. utriusq; igi-
 tur par ratio, par intellectus, eademq; natura:
 uerum solis finibus, & usu differunt. At cū in
 cæteris animantibus, & superior homine me-
 moria sit, uelut in equis: & robur, ac uita, ut in
 elephanto: & uisus potētia, ut in lynce, & aqui-
 la: & auditus, ut in apro: & tactus, ut in aranea:
 & uelocitas, ut in lepore: horum autem habi-
 tum, nullum animal omnino particeps sit: ne-
 dum ut hominem uincere queat: indicat hoc
 manifeste, animum humanum ab omni mate-
 ria corporea esse separatum. Quippe cū homo

In omnibus quæ ex corpore pendēt, ab aliquo uincatur animal: in his uero animi uirtutibus nullum sit animal uel minimum particeps, impossibile est omnino ut intellectiua uirtus, nō sit & separabilis, & immixta, ac ppetua. nec tantum ipsa nuda remanet, sed cum ea, quæcunq; ex his didicerit: non memoria, sed ratiōe cooperante. Etenim cum omnium animalium canis, & cercopithecus, & elephas, absq; contentione ingenio maiore prædita sint: etiam si totam uitam ex hauseris, ne uel minimum præceptum aut artis ullius, aut prudentiæ docueris: præter id quod eis innatum à natura est. Nempe, ut facillimum dicam, nexum soluere, si docere nitaris: memoria quidem comprehendunt, ut trahāt, emolliantq; tum uero ut constitutum nexum soluant: at uero si uel pauxillum mutaueris nodum, haud unquam nisi fortuito dissoluere sciunt: ut facile intelligas rationis experientia ea omnino esse. Similiter & aues loqui discunt, & ut Poeta dicit, tam bene, ut apud eum pica gloriatur dicens:

Si me non uideas, esse negabis auem.

Nunquam tamē quid dicat, complexum uellum edocebis: ut rationis uel uestigium assequi uideatur. & quanto sermone homini propinquiores cernuntur, eo certius quod nulli

us intellectus capaces sint facile cognoscitur. Similiter & canes, nomina propria agnoscunt, & uenari aues disciplina edocentur: at hæc omnia memoria sola retinent: quippe nihil præter id quod edocti sunt, addere, uel mutare, pro oportunitate sciunt. neq; plura eos nosse, quæ ob sermonis sublatam facultatem referre nequeat, est arbitrandum: cum aues maxime dociles, inter quas psittacus est, quamuis loqui ut homines probe discant, nihilo tamẽ magis ulli usui rationis sunt utiliores. Ad unam igitur tantum artem, natura, ad uniuersa memoria solum ualent: rationis usq; in æternũ, nec per prolis continuitatem erudiendæ, nec per longitudinem temporis, nec per industriã capacia bruta sunt. Igitur & quemadmodum docuit Aristoteles, memoria mentis pars nõ est: at uero apud Platonem Recordari idem est quod apud Aristotelem Intelligere. nempe hoc solo hæc differunt, quòd conceptæ rerũ series, ab Aristotele, quoniam nouiter menti aduenire creduntur, intellectus nomen habent. Plato uero innatas animo nostro putat, quare memoriam eã uocat. Neutrius igitur, cum mentis solum uires sint, particeps brutum animal esse potest: sed eius tantum quã Aristoteles memoriam, Plato opinionem appellat. Verum cum indifferetè nomi

nibus passim utatur Plato, reminiscentiã, seu memoriam sempiternam, mentisq; partem hominibus tribuit: opinionem uero & conceptã nuper ex sensibus memoriam, cæteris animalibus. At uero quòd ars illa omnino à natura fit, non ab ulla solertia, indicat quòd etiam hirundinibus, & formicis, præstantissimæ sint: ac etiam reliquis uilibus animalibus, & ab omni sensu remotis. at si discretione fierent, eo essent ut in hominibus artes elegantiores, quo animalia etiã sensu, & memoria præstantiora forent. At secus euenit, cū canes, equiq; ac elephantes, & simiæ nihil tale nouerint, quale uel hirundo, uel formica, uel bombyces. Essent etiam in his, quemadmodũ & in hominibus, circa eandem artem & imperfectiones, & diuersitates: tum uero transitus in consimilia opificia, uelut & in hominibus: quorum nullum cum sit, haud dubiũ esse potest uniuersam hanc institutionẽ, à natura esse. Atq; ut uniuersaliter dicam, si possent bruta aliqua, uel rationis habere uestigium: necessariũ omnino esset, ut ex duabus particularibus propositionibus, ratiocinatio instituta cõcluderet. quòd nullo modo esse põt. natura igitur tantũ non ratione reguntur. At uero cū ea ipsa quæ animal docet, sempiterna haud dubiè sit: quã

quàm animal ipsum mortale: quãto igitur ma-
 gis est necessarium, intellectũ humanum, qui
 uniuersas animantium artes, atq; his longe plu-
 res, & præclariore nouit: tum uero & discipli-
 nas, & præcipia, & Deum, omnemq; coeli, & ele-
 mentorum cultum præter eas, immortalem &
 impatibilem fore: namq; ut natura ipsa animal
 non est, sed quod animal docet: ideo ea super-
 stite, animal moritur. sic è diuerso cum intelle-
 ctus homo fit totus, atq; hoc ipsemet cogno-
 scat: intellectu superstite, homo etiã totus, quã-
 quã corpus euanescat, incorruptibilis est. quã-
 obrem rite admodum à Socrate repræhensum
 Critonem sentio: cũ enim ab eo Crito ob bene-
 uolentiam quæreret, ubi sepeliri uellet (iam. n.
 uenenum Socrates in carcere biberat, ilico mo-
 riturus) respondit: hei mihi, quòd operam per-
 didi: neq; enim Critoni psuadere potui, me to-
 tum hinc auolaturum. intellectus enim quan-
 quàm simplicissimus, omnem tamen uirtutẽ
 in homine compræhendit. nec plurium uirtu-
 tum capax est, quòd diuersas habeat partes, sed
 pro natura, qualitateq; eorum quæ tractãtur,
 & intellectus, & arbitrium, & ingenium, & de-
 liberatio, & uoluntas, & prudentia, & sapientia,
 & ars dicitur. Quare etiam bruta his omnibus
 ex toto carere necesse est. neq; enim ullum illo

rum, uel arbitrio, uel deliberatione, uel proprie dicta uoluntate utitur: ut nec intellectu, nec cōsilio: sed omnia animalia æqualiter, & in uniuersum omnium horum expertia: quæ admodum & è diuerso homines omnes, horum sunt capaces: utpote quòd natura illorum, quæ intellectus, seu mēs, seu ratiōalis anima: hæc omnia, potestate simul sit, ac cōtineat. atq; propter id, in eorum singulū, prout uult transformat. Quamobrem illorum uanitatē satis demiror, qui homines tantum temperatarum regionū, rationales esse existimant: at in extremis terre plagis, feris persimiles: Soliniq; mōstrificas formas comminiscuntur. At equidem longe iudicio aberrant: paucis enim ante ānis, Leonardus Pisauriensis dum in Indiā, & Æthiopiam penetraffet: ex India arithmeticam, qua nunc utimur: ex Æthiopia Algebrae artem supputandi, argumenta clarissimorum ingeniorum detulit. Ægyptios omnium artium inuētores negat ferme nemo: at præcipue astronomiæ. nuper Ioannes monteregius ex Germania, & Guglielmus Zelandinus, excellētis Vir ingenii: Erasmus Roterodamus Batauus: & nunc uniuersus boreas bonis literis scatet. Quàm impudēs est, eos à qbus artificia summa subtilitate, quæ à nobis Italis imitari nullo pacto queunt, ex Af

frica & Sarmatis deferrī: illorum uero ingenia,
 belluinis uelle cōparare: nostra obtusiora præ-
 ferre. Non habet temperata regio, neq; melio-
 ra ingenia, neq; acutiores mentes, uerum solū
 suauiores mores, & affectus moderatiores: qui
 bus copia rerum, ob cœli clementiam adiuta,
 primas nititur sibi partes ascribere. Sed si Ro-
 manorum arma non fuissent, iaceret Italia, non
 paucis prouinciis ingeniorum claritate cedēs.
 Sic & Græcia studiis, non ingenio, barbaros su-
 perauit. At quid refert prouiores ad quosdam
 animi affectus barbaros esse, ut ppter hoc me-
 te minus ualere dici possint? cū uideamus ple-
 runq; illustres uiros, natura fuisse iracundos:
 humoris subtilitate, eas partes sensus quæ ani-
 mæ inserviunt rationali, locupletius adiuuan-
 te. neq; tamen ob hoc igitur minus rationales
 iracundi, dici debent: nisi eo sensu, quòd ratio-
 nalem uim animæ, à corporis affectibus nimis
 superari patiantur. In quo intellectu, si extre-
 morum climatum incolas, irracionales appella-
 re libeat, non dissentio: quòd uitiis facilius pa-
 rere sint paratiores. Non quòd ad rationalem
 animæ uim, quicquam omnino desit: cum ple-
 rūq; nobis & ingenio, & consilio, & artiuū subti-
 litate præstantiores sint. Quid enim rogo in-
 terest, si duo diuites æqualiter sint: alter autē
 diuitiis

diuitiis utatur, alter autem nolit: nunquid ob
 hoc eum qui non utitur, pauperiorem altero
 dicemus esse? Itaque hoc omnes inelyti philoso-
 phi uidentes, animum immortalem, & insene-
 scibilem statuere coacti, ad eius unitatem men-
 tientes confugerunt: dicentes equidem immar-
 cescibilem esse intellectum nostrum, uerum ta-
 men in omnibus hominibus unū. Id uero ali-
 ter, atque aliter affirmant. Quidam enim ut Auer-
 roes, & passiuum, & agentem, unum faciunt:
 utrumque etiam separabilem: uerum alterum for-
 nam hominis, alterum aduentitiua quiddam,
 & ab homine penitus separatum. Alii rationa-
 bilius ex his sententiis, solum agentem extrin-
 secus aduenire affirmant: neque tamen sic homi-
 ni copulari, ut forma eius omnino sit, atque ho-
 minis pars. Verum quod de duplici intellectu
 Auerroes affirmat, apud Aristotelem nunquam
 inueni. Unus enim est qui foris aduenit, ac inse-
 parabilis non est, cætera omnia ex materia, & se-
 minis uirtute educuntur. At duos intellectus
 in homine efficere, ambosque perpetuos, absurdum
 est. Sed iam hoc nostra nihil interest
 ostendamus eum qui immixtus sit, atque forin-
 secus uenit, omnino unicū esse non posse. Namque
 si talis esset, atque hominis forma quoniam pacto
 ante quam in nobis exerceatur, tabulae rasæ ac

nudæ posset comparari : imbutus iam in aliis
 omni disciplina, omnes etiam homines æqua-
 liter superent: imò omnes quod plus est homi-
 nes, unus essent homo : quòd eorū forma una
 numero foret, & unum intelligens . At uero si
 forma non est, quid absurdius quàm dicere ho-
 minem intelligere, cum intellectus ipse homi-
 nis pars non sit? Verum hæc quāquā ridicula
 sint, eis condonentur: atq; ex initio fundamen-
 tum ipsum repetatur. aut enim hic intellectus
 unicus, & perpetuus, tātum in hominibus est:
 aut etiam tam quàm quidam sol, natura sepa-
 ratus: sed luce hominibus cūctis assistit. Siqui-
 dem in hominibus tantum est, quomodo est
 separatus? quomodo extrinsecus uenit? quo nā
 pacto ex potestate seminis non fluit? quid ue-
 ro excellentius cæteris animantibus homo ha-
 bet? cum & ipsa materiam perpetuam, & natu-
 ram à qua regunt, immarcescibiles sortita sint.
 Hoc enim sic permanere, nō est nisi similitudi-
 ne, non numero idem permanere. eadem enim
 esset uis in animali, natura: & in homine, intel-
 lectus. At uero ob hoc animal ab alio regitur:
 quoniam natura non potest animali eadem eē
 quoniam id à quo regitur, permanet, extincto
 animali. Si igitur homo à seipso regitur, & est
 immortale quod regit, unum esse nō potest in

diuersis. separata enim est natura quæ regit, ab
 animalibus: ut una pluribus inferuiret: copu-
 lata uero est uis in homine intellectiua. Quæ
 propter intellectiua una facultas, pluribus ho-
 minibus nõ potest inferuire: sed unicuiq; suus
 intellectus attributus est. at nec tam quam sol
 extra collucet nobis: primum quòd nos ipsi
 met non aliter intelligere nosmet percipimus,
 quam sentire. Est autem sensus proprius no-
 bis, & omne eius fundamētum nostri pars: igitur
 & intellectus. Tum etiam quòd si exterius
 colluceret, ab alio regeremur: uelut & bruta:
 quæ non ob aliud ab aliò reguntur, quam quòd
 id à quo reguntur, extra ipsa est. Hoc uero ma-
 xime nobis hominibus propriū est, ut nobis
 ipsis imperemus: namq; uirtus quæ in nobis
 membra mouet, quoniam ab intelligentia pro-
 ficiscitur, alienoq; ac externo regitur imperio,
 semper eodem modo paret: nec nostra omni-
 no est, nec nobis cognita: sed ea utimur, quo-
 modo utamur nesciētes. sic & eorū quæ aliun-
 de proficiscunt, non plene domini sumus. Sic
 belluæ, quoniam & facultate mouente, & sen-
 su exterius causam habente reguntur: eodem
 modo, omnis prorsus libertatis expertes sunt:
 & penitus imperio parent alieno, nihil differen-
 tes in suis affectibus, ab eo sensu atq; obsequio,

quod membra in homine uoluntati exhibere solent. nam & ea si lædantur, spõte, & absq; uoluntatis imperio, se retrahunt: quamuis propter quid id faciant, minime cognoscant. Atq; etiã si extra nos intellectus esset, non magis ab animalibus differremus brutis, quàm ea inter se: necesseq; esset, & bruta intellectus non esse expertia: quandoquidem eodem modo & natura brutorum, & hominum, eodem modo, & ab eisdem sempiternis causis illustrarentur. Ostensum uero est, nullo modo eius partis quæ rationalis est, animalia bruta usq; in æternum, uel minimam umbram assequi posse: sed per memoriam, aut naturam, aliquãdo præbuisse speciem concepræ cuiusdam rationis. quamobrem perspicuum est mentem hominum cœlestem esse, & pro eorum numero distributã, nec marcescentem, nec senescentem ullo modo. Sed uelut radii solis si in opacum inciderint, aut in nebulam, non collucent: at si in uitrum, aut aquã, aut crystallum: tanto splendidius, quanto materia magis est perspicua: nec hi radii tamen illis præstantiores, aut diuturniores, sed æquali perpetuitate fungunt: Sic animi corruptis partibus in quibus maxime refulgent, seu senio, seu morbo, desinunt proprio splendore, propriisq; uti facultatibus. unde apud quosdam

marcescere uidentur, cum tamen nulla ex parte sint uitiati, aut languidiores redditi, sed inuiolati ad mortem usq; permanentes: indeq; emigrantes, uerisimilem nobis opinionem præbent. Quis enim secus existimare possit, bonorū beatos, ac felices, semper esse: malorum infelices, & miseros? Hinc alii reuer- ti in corpora post seculi consummationem, & ut dicunt annum magnū ut Platonici: alii usq; eò perdurare, atq; in mundi per ignem conflagratione, quam post longa tandem secula uenturam expectant, interituras dicunt: ut Stoici. De quibus cum nihil nunc firmum, ac constitutum habeam, dicere non decreui: sat satis mihi esse putans, ostendisse singulorum animos hominum, post obitum seorsum manere, cum his facultatibus quæ maxime illis ppriæ sunt: uelut uoluntate, intellectu, sapientia, scientia, deliberatione, ratione, artium peritia, atq; eiusmodi uirtutibus. nunc iam ad propositam ab initio orationem reuertamur. Propositū nempe fuerat, mortem neq; malam esse, nec deplorandam: neq; minus disputatio de animi immortalitate huic necessaria negotio uidebatur, quàm, ut dici solet, lucernam adhibere in meridie: nullis enim minus mors grauius fuit, quàm his qui nullū sensum à morte esse putauerūt.

Attamen cum in hos sermones incidissemus; quòd nobis uere scire contigerat, alios ratione docere uoluimus. nunc uero ostendendū mortem, neq; malam esse, neq; deplorandam: turpissimum uero ac omni excusatione uacans, proprium interitum aut lugere, aut timere: quem nulla pietas, nullaq; misericordia potest excusare sed timor, ac, animi paruitas, tum uiuendi nimium anxia cura solū in causa esse possunt. Sed quæ tibi cura tanta, aut quæ tanta foelicitas cariorem hanc lucem efficit? aliquid ne tu solus habes, quod nos non experti sumus, propter quod etiam uitam desideras longiore? Nempe & nos sydera, coelum, montes, maria, flumina, euripos, lacus, syluas, prata, hortos, urbes, oppidaq; uidimus. at uero iocos, luxus, citharam, cantus, conuiuia, uenerea, amores, nocturnaq; bacchanalia, totam deniq; stultitiam attingimus. nec defuit exercitatio laudanda, disciplinarumq; liberalium mediocris notitia, tum contentiosæ disputationes, publicæ perorationes: dignitates etiam pro qualitate adepti sumus: honestis etiam desideriis satisfecimus, filiorum, amicorum, affinium, ac gloriæ consuetudine gauisi: & pecunias, & uestes, reliquaq; commoda naturæ percepimus: plura longe ex his contemntes, quàm quærentes in his om

nibus, nil aliud libet quàm illud Propheticum
 exclamare, Vanitas uanitarum, & omnia uani-
 tas. Sed si modò cuiquam seu splendidior fœli-
 citas, seu compendiaria ad beatitudinē uia que-
 dam affulfit, aut nouum iocunditatis genus,
 edoceat. ego sane in his omnibus, plus mole-
 stia, inueni quàm uoluptatis. At puto non ali-
 ter his accidere, qui tam anxie & diu uiuere de-
 siderant, quàm quærentibus metallorum trās-
 mutationem: quiduis enim potius quàm quò
 optant inueniunt: atq; ultra id quod nec aurū
 nec argentum factitant, paucum etiam illud,
 quod habebant amittūt. sic qui maximo nixu
 fœlicitatem prosequuntur: cum eam non adi-
 piscantur, etiam illa quam habent animi securi-
 tate, & requie spoliantur: fiuntq; infœlicissimi.
 Quamobrem cum nihil iuuet hoc uitæ deside-
 rium ingens, etiā si uita bona eēt: prestat cuiq;
 sine anxietate, hoc pondus curarum libeter de-
 ponere: atq; ut fidum uirum, his qui tibi de-
 positum commodauerint reddere. At uero si
 frustra distorquearis, qd aliud tibi paras, quā
 quòd & illud exiguum uitæ, quod superest, in
 morte cōsumes: si quidem totum tempus quò
 mortis cogitationi impenditur, mors est. At
 quanto melius est Agathii consilio acquiesce-
 re, qui mortē non ineleganti præconio extulit;

dicēs, eā non solū dolores, ac morbos, cæterasq; molestias sedare: sed & solam inter omnia, tantum semel ad hominem accedere: cum incommoda omnia sæpius urgeāt, sæpiusq; reuertantur. Neq; uero ingēs malum esse potest, quod tam leuissimis causis aduenit, atq; undiq; paratum est. solent enim quæ noxia sunt, etiam rara esse, & inuentu difficilia, at morte nihil leuius occurrit, nil frequentius. Nempe mors ab ære, à uentis, à fulmine, ab aquis, ab igne, à terræ motu, à feris, à piscibus, à casu, à puluere, à fumo, à serpentibus, à cibo, à potu, à strato, ab arboribus, à somno, à mentis cōcussione, à gaudio, à risu, à societate hominum, ab ira, à discordia aliisq; innumerabilibus causis occasionem arripit. quid graue in ea esse potest, quā acinus uuæ, & pilus accersit? Philomenes cum uidisset asinum comedentem caricam, redeunti puero dixit, Postquam caricam asino reliquisti, da ei & merū, solutusq; ex festiuitate in risum, dum non posset ab eo temperare: cachinno assiduo extinctus est. cum Coma Diogenis insignis latronis frater, à Rutilio consule captus, de conatibus fugitiuorum diligentius quæretur: sumpto ad cogitandum tempore, atq; inter genua reposito capite, cōpresso spiritu, iter ipsas custodum manus expirauit: tam faciliter

ut nemo eorum cognouerit illum animã egis-
 se. Quid igitur in tãta facilitate aliud existima-
 re possumus, quàm mortem somno quã simil-
 limam esse? atq; ut in somnum, è uigilia, quam-
 uis attentiores facti, nihil minus sensim dilabē-
 res, accessum, ipsum sentire non possumus: sic
 etiam è uita in mortem migratur, paulatim sen-
 su dilabente, mors absq; sensu ullo inuadit. An
 putas cum Socrates ex ueneno iã frigeret: amo-
 uissetq; feruus pallium, tanquam protinus mo-
 rituro: ille uero iocaretur, Critoni dicens, gallũ
 memineris Æsculapio sacrificare (quòd hic oli-
 mos his esset qui salutiferam potionem aliquã
 bibissent) egregium aliquod malũ sensisse: cer-
 te nõ: neq; enim in extremis doloribus ioci suc-
 currunt, nec mens ipsa compos est sui. Illud ta-
 men admiratione nõ parua dignum est, quòd
 cum omnes tantum mortem & timere, & odif-
 se uideantur: nihil tamen minus uitare studēt:
 sed omnia mortem facile adducentia subeunt:
 nec circa aliud minus quàm circa uitandã eam
 solliciti uidentur. amator scortum uitæ præpo-
 nit, iracundus uindictam, parasitus gulam, am-
 bitiosus honores, auarus opes, miles rapinam,
 mater filios, negotiator merces, studiosus eru-
 ditionem: ut nihil deniq; non sit, cuius causa
 mortis non obliuiscamur. Mortem igitur ut

uideo odimus, et accersimus. Sed nō immerito
 namq; nihil minus in se mali continet: laudan-
 dumq; propositum eorum, qui eam contem-
 nunt: si ea, propter quæ uitam negligunt, aut
 honesta forent, aut necessaria: moderatiusq; di-
 ligerent. quippe ob nimium aliarum rerū stu-
 dium, mortem negligere, non est fortitudinis
 in contemnendo argumentum, sed potius de-
 siderii ingentis, & impotentis animi. Quamob-
 rem non tam laudabilis contemptus, quàm ui-
 tuperabilis intemperātia est. At uero mortem
 formidasse, quāquam illud laudari non possit,
 hoc tamen turpius est & foedius, cum omnem
 incontinentiam animi abiectio uincat: præfer-
 tim uero in re necessaria, & minime mala. Eg-
 dem illud Epicharmi quidam probant, Emori
 nolo, me mortuum esse nihil curo quasi finis
 ipse qui post mortem succedit, aut iocundus
 sit, aut non tristis. Quid enim triste esse potest,
 carere fame, siti, doloribus, labore, tristitia, timo-
 re, ac ut uno explicem uerbo, malorū aceruo:
 quibus si anima non superesset, carere perpe-
 tuo necessarium est. at cū ea etiam supersit, ho-
 rum loco, plura splēdida bona permutasse, nō
 ne optimum existimari debet, ac iocūdisimū?
 Ea de causa Socrates (etenim hic sæpe ad par-
 tes, ut dicunt, uocādus est) dicere solebat, Mor-

tem profundissimo somno quàm simillimam fore, aut diuturnæ peregrinatiõni, aut interitui: quemadmodum animalium brutorum mors est. Si enim anima manet, & nihil post mortem intelligit: profundissimo somno mors assimilatur. nempe quòd & in illo gescamus, nihil aut sentientes, aut intelligentes: post tēpus ad easdē exercitationes redituri. Certissimum quidē eū dulcissimum esse, ac suauissimum, qui sit profundissimus. nempe nullum aliū probamus somnum, nisi in quo mortuis similes, nihil somniamus. Etenim inquietus, leuis, interruptus, molestissimus est: is etiam qui imagines, & insomniam ostendit, ægris corporibus aduenire solet: inde Horatius: ægri somnia uanæ. Finguntur species.

At lenis, ac profundissimus, qualis fessis superuenire consuevit, gratissimus mortalibus est. inde Homerus dulcissimum, ac morti assimilatū, profundissimū uocat, dicēs:

ἡ γρηγορία, ἡ δεισιφροσύνη, θανάτου ἀκινετοῦ εἰρήνης. Et Virgilius.

Dulcis & alta quies, placidæq; simillima morti

Memineram patrem meum. Fatium Cardanum, cum uiueret in ore semper habuisse, se mortem optare: quòd nullū suauius tempus experiretur, quam id in quo profundissime dormiens, omnium quæ in hac uita fiunt expers

esset. id puto intelligēs, quòd uniuerſa hæc delectatio, quæ sensibus percipitur, plus habeat amaritudinis, quàm dulcedinis: atq; ea ppter nihil melius sit, quàm intellectu seruato, ea caruisse. At uero communis opinio, mortē somno potius quàm peregrinationi, aut interitui comparauit. Inde Homerus æreum somnum, Virgilius ferreum mortem uocat. utriq; enim eorum par est obliuio omnium, remissio curarum, & laborum, sensuum torpor, & aduentus incognitus: hoc uno tantum mors, à somno differre uidetur, quòd tempus quietis quàm mortis longius est. Inde Diogenes cum ægrotaret, suscitanti medico, quomodo se haberet: probe inquit: frater, fratrem inuisit: nuper enim dormierat. tanta fuit animi securitas, ut sub ipso uitæ exitu iocaretur. Sic & ante nostram ætatem sapiens uir Cosmas Medices, cum sub morte oculos clausos contineret: interroganti uxori, cuius gratia id faceret: respondit, ut assuescant, nempe mortuis oculi neq; patent, neq; conuenient, ex instituto quodam uulgi more. Id uero etiam spectasse Poetam puto, cum dixit:

Stulte, qd ē somnus, gelidæ nisi mortis imago?
 Longa quiescendi, tempora fata dabunt.

At uero si mortē diuturnæ peregrinationi assimilaueris, utq; soluta corporis carcere, om:

nia intelligat, per loca omnia obambulet: quid ipsa scilicet uel cogitatione inquam, completi queat: quādoquidem animus dum corpori hæret, nec liber est, nec quicquā recte intelligit: sed solitudinibus, atq; curis prægrauatus quasdam uidet rerū imagines: & nutante animo, quasi per sæptum, aut contextam telam, quædam comprehendit: nec intelligit. at sic liber, non tantum ab impedimento, sed ab onere omnia dilucide conspiciat. Quod si sic se habeat, quisnam mortem libenter iure merito refugiat: quin potius ut Theombrotus Ambracio ta, qui lecto Platonis libro de animi immortalitate, nullo alio uexatus incommodo, naturalē mortem expectare non sustinens, præcipitem se è muro sponte dedit: ut eam ingentē animorum beatitudinē ultro sibi adscisceret. Nō immerito igitur, Socratem, cum à Critone ante quā in uincula coniceretur, ad fugā tum amicorum, tum filiorum, si sui causa nollet, persuaderetur: ferunt prudentissime respondisse: ò Crito, filii quidem diis curæ erunt, qui eos nobis dederint: cæterum quod ad amicos pertinet, in eas sum regiones concessurus à morte, in quibus pares certe uobis amicos, & forsitan meliores etiam inuenturus: at uobis ipsis, uestraq; consuetudine, nec diu cariturus

breuem scilicet humanam uitam subindicans. Talia Socrates dicebat, quòd existimaret, ex his tribus rebus, quibus mortem assimilari necesse est, ueram eam esse tantum quæ peregrinationi longe eam æquiparat. Quod etiã ex somniis colligere licet: nulla enim certio rem exitu uitæ præfagiunt, nec fidelius, aut clarius indicant, quàm ea in quibus in longinquas & peregrinas regiones obequitare sibi uidetur homines: aut alios coniunctos uiderint præsertim si & albus sit equus, & cursus celer, & regio ignota, nec ullum reuertendi postmodum simulacrum subsequatur. mente quod sibi futurum est naturaliter diuinante: ac iam cõcipiente, quòd mox factura sit. At si interitui cuidam persimilis obitus esset (quãquã hoc esse impossibile, iã dilucide ostensum sit) nihil minus tamen, etsi ita foret, mors mala esse non potest. Quod enim non est, malum quomodo esse potest? aliter uero & eos qui nunquã nati sunt, quiq; nunquã fuerunt, dolere arbitrabimur: quæ enim nõ sunt, nihil pati possunt. Sed si permutationis causa doles, certe plura mala mors tollit, quàm bona, & certiora. Et si nihil aliud mors afferret commodi, mala existens, nam & hoc ex Epicharmi dicto solum superest, quòd exitus ipse grauis sit, hoc uno ipso metu sui ipsius te liberat. nam

in cunctis malis euasisse, summum praesidium est. Si igitur mors mala est, mortuum esse est euasisse: si bona, non est quod torquearis, horum autem alterum necessarium fore quis dubitat? Memini tamen quod olim mihi contigerit (neque enim ab re referre id puto) Laborabam semiter tiana annos natus septem & uiginti: atque in ipso indicationis die, qui quartus fuerat, tum uero in iudicatorio, septimo scilicet, exolutus animo sum: ac quasi mortuus iacui. contigerat uero id non ob morbi uehementem malitiam, sed quod ore uentriculi (quod Graeci stomachum uocant) laeso, utrumque principium cerebrum, scilicet per neruos quinti paris, & cor ob arteriam tum magnam iuxta eundem locum obaequitatem, tum etiam per eosdem neruos, qui eousque perueniunt, male affectum fuerat. Igitur quamuis integris penes uiribus, resolutus, nihil tamen amplius, aut doloris, aut molestiae sensi, quam quamdam in uniuerso corpore, qualis in uenereis solet accidere, titillationem reliquum post initium, ut in somnum cadentibus, deprehendere non potui. Id igitur, ut dixi, cum bis incidisset, nihil aliud deterius sum expertus, nisi quod ea titillatio, nec tantum uoluptatis affert, quantum uenerea: & habet aliquid quo exolui uires, sed tenui molestia sentiamus nec grauius quicquam

passus sum, quàm quendam timorem, quo pu-
 tabam me prorsus mortem obire. Et certe ad
 sensum ac robur, parum discriminis, ac penè
 nullum intereat: ad periculum uero, plurimùm.
 Confirmatus autem postmodum in opinione
 sum, non paucos interrogans, quibus mortem
 protinus imminere cognoueram: an fœuum
 aliquod malum sentirent? quos cum negare id
 uiderim, maioremq; molestiam in grauitate ca-
 pitis, aut omnium membrorum dolore leui,
 collocare: intellexi me non in iudicio, & quam
 de morte conceperam opiniõe, aberrasse. Illud
 etiam argumento non dubio deprehendi: quòd
 cum mulierculas, & pueros, ad omne auxiliũ
 medicamenti, aut secandæ uenæ, aut cucurbitu-
 lularum applicandarum, contumaces, adeoq;
 morosos expertus fuerim: sub mortis aut tem-
 pore nec quererentur, nec lamentarentur, plu-
 rimum uero contristarentur, si horum quip-
 piam auxiliorum afferre me uelle intelligerēt:
 quis potest dubitare, mortem ipsam, aut malũ
 omnino nihil, aut admodum exiguum conti-
 nere: quòd eam contemnant, qui speratas à no-
 bis molestias, tantopere timent? Id etiam consi-
 derandum, eos non minus audacter, mortem
 conscisse sibi, qui nihil omnino post mortẽ sta-
 tuunt: quàm qui animum sperant immortalẽ.

Quem

Quemadmodum Cassius, qui Cæsarem occiderat, eodem se pugione, nedum expectato cladis nuntio, etiam perperam se cōfodit. & Marcus Antonius, ex trium uiris. Et Sardanapalus Assyriorum rex, dum uictus esset, se met cum tota regia suppellectile, & concubinis, intrepide rogo iniecit. At uero non existimasse hunc quidquam à morte superesse, testantur notissimifilli illi uersus:

Ede, bibe, lude, & te mortalibus exple
Deliciis animum. post mortē nulla uoluptas.

Non igitur etiam si cum corpore animus intereat, mors mala esse potest, aut grauis, uel timenda. Illudq; securius habent, qui sic credūt, quòd nullo iudicio subiaceant. solutamq; ab omni suspitione mentem, uel poenarū, uel præmii subeundi (quæ plurimos in morte anxios facere solet) retineant. Verū omnia potius crede, quàm sic animum cum corpore mori. nāq; ut minime certum est, quo nam pacto à morte se habeat, ita certissimū est quòd supersit. Neq; tamen, etsi aliunde ratio ipsa non expectatur, sed à sola uitæ, & mortis consideratione: inigore animo mors ferēda est: tum quòd nihil hac uita, aut miserius aut difficilius sit: tum quòd etiam deorum monitu, certiores de hoc facti sumus; tum quòd sapientes omnes istud censuerunt.

rint: tum etiam quòd in re ineuitabili, melius
 consilium sit eligendum. Itaq; ut à prima ratio
 ne sumamus initium: quid aliud est uita no/
 stra, quàm ærumna perpetua? singulis diebus
 tot necessitatibus, tot laboribus, tot suspitioni/
 bus, tot periculis obnoxia. Nihil est uoluptatis
 in homine, quam pœnitétia non sequat. ultus
 sum, cauere oportet: comedi ad satietatem, gra/
 uitas me offendit: parcus edi, nō est expletum
 desiderium: ueneras delicias sequor, hinc mul/
 tiplex pœnitentia lassitudo, fastidium, morbi
 deniq; ne cuncta persequar, semper medius in/
 ter hæc ambulas, ut uel non expleas appetitū,
 desiderioq; discrucieris: uel satiatus, pœnitétia,
 & incōmodum te torqueat. Cur nam omnes
 gentilium dii, mortem uitæ hominibus præpo/
 suerunt, nisi quòd humana miseria, illis nulla
 ex parte cæcutientibus, tota nota esset? Etenim
 refert Pindarus, quòd cum Agamedes & Tro/
 phonius, templum Apollinis Delphis condidif/
 sent, petiisse à Deo illo mercedem: quam ille cū
 intra septem dies libenter redditurū esset pol/
 licitus, consuluit ut interim conuiuuis & genio/
 indulgentes, iocundam uitam ducerent. at in
 fine eorum dierum, cum somnus eos altus ex/
 cepisset, uita functi sunt. Quo euentu Apollo,
 non obscure docuit, nullū esse mortalibus ma

lus præmium, quàm mortem. Post aliquod tē-
 pus idem deus sententiam in ipso Pindaro con-
 firmavit. cum enim per Boeotios legatos, poe-
 ta ab oraculo scisitatus esset, quid est quod ho-
 mini optimum possit contingere: respōdit By-
 thius, non ignorare Pindarum, quod rogaret:
 si uera essent quæ de Agamede, & Trophonio,
 ipsemet literis mandasset. quod si experiri uel-
 let, paulo post ei successurum. Intellexit poeta,
 id ad obitum suum spectare: nec deceptus est:
 paucis enim post diebus interiit. Refert Plutar-
 chus in epistola consolatoria ad Apollonium:
 Aristotelem in libro cui titulus Eudemus est,
 seu de anima (qui quāquā à Sylla reiectus fue-
 rit ad nostra tamen tempora nō peruenit) hāc
 historiam scribere. Cum Midas in uenatiōe Si-
 lenum coepisset (est autem Silenus ex satyrorū
 genere, à Bacchi nutritio, qui et ipse Silenus uo-
 cabatur, & satyrus erat, cognominatus: unde plu-
 res ab uno defluerunt: dicente Plinio, Pinxit
 & lasciuiam, in qua tres Sileni comessantur) in-
 terrogauit eum rex: quid optimū homini fo-
 ret, maximeq; desiderandum? atq; cum diu Si-
 lenus respondere noluisset, coactus tandem re-
 gis pertinacia, in hæc uerba erupit, O Dæmo-
 nis laboriosi, & unius diei semē: quid me ea di-
 cere cogitis, quæ uobis ignorasse melius esset:

cum priorum malorum ignorantia, ad uitae iocunditatem conferat: Sed postquam uos mala uestra scire iuuat, optimum, non nasci unquam uobis esset: quod uero huic proximum, factumque facile, natum subito interire: neque enim conditio uestra optimae naturae particeps est. haec Silenus. Sed nec philosophorum sententia ab hoc discrepat, unde Peripateticorum princeps Aristoteles, eos qui se ipsos occiderint, molles & effeminatos appellat: fortis enim uiri esse, mala perpeti. at uero imbellis, & ignaui, ad mortem propter miseras confugeret: quod & poeta lepide imitatur dicens,

Rebus in angustiis, facile est contemnere uitam.
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

At Academicorum optimus Plato, dicebat: morti non succensendum, quod nesciamus, an bona sit, an mala: indicans a suppliciis, aut praemiis, post mortem, bonam aut malam esse. ipsam uero, neque bonam, neque malam: quod simul utrumque illorum ex hac uita auferat. Quamobrem etiam a sacra scriptura, mors non nisi somnus, & mori dormire dicitur. Quid mirum igitur est, si etiam praeter spem futuri saeculi, mors fugienda non est? Beatum Paulum optare ut dissolueretur, & cum Christo sit? At uero hoc non tantum sanctorum uirorum desiderium esse de-

bet, sed etiam bonorum . nempe cum tria nobis malorum genera euenire possint : alia quidem in nobis, atq; in animo nostro: quibus temperantia aduersatur, alia extra, quibus occurri potest, in hisq; prudentia satisfacit alia quãquã extra animum nostrum sint, ineuitabilia tamẽ sunt: quibus fortitudine opus est . Quid rogo esset fortitudo, si mortem aut timere bonum esset, aut necessarium? Cum igitur quemadmodum temperantia, & prudentia, utilis hominibus est, sic & fortitudo: quãenam eius esset utilitas, si mortẽ necessariò timeremus: aut si mortis metus, bonus esset, uel honestus? Cũ uero homini necessarium foret mortem aliquando accedere, ex tribus unum etiam sequi oportuit: uel quòd bestiarum more eam ignoremus superuenturam: quod homini fieri nequit ut contingat uel ut æquo animo ferat: uel ut discrutietur, nonne longe melius est, quod naturaliter homini datum est, æqui boniq; consuleret: eoq; magis cum uideamus, loco ignorantia in beluis, fortitudinem homini à Deo concessam aduersus mortis necessitatem. Neq; enĩ melius consuluisse Deum brutis, quàm hominibus credendũ est: at illa omnino nullã mortis curam, eam ignorantes suscipiunt: quam obrem & nos ab eo timore immunes, ipsa animã

constantia esse decet. Quid uero patriæ, utilitatis, quid nostris, quid uirtutibus, auxilii afferre possumus, si mortem non contemnamus? Callicratidas Lacedæmonius dux, cum aruspicem uictoriam patriæ, ipsi mortem nuntiantē audisset: respondit, Me mortuo, nihil Sparta diminuetur. Quàm speciosa sunt, quàm splendida facta uirorum mortem nō formidantium: quàm foelix uita, quàm honesti exitus, quàm gloriosa fama: deniq; cur piget ad eam æqualitatem accedere, in qua seruus æqualis est regi, turpis formosissimo, atrox hūili? Nec Xerxi numerosus exercitus, nec Tiberio thesaurus, nec Antonio truculentæ minæ, nec Iulio foelicitas, non Alexandro magnitudo animi, nō robur Achilli, nec Aristoteli sua philosophia, nō melliflua sermonis dulcedo Platoni, nō Archimedi ingenium, nec Ciceroni facundia quicquam proderit: omnes erimus æquales, & innoxii. si ueram uirtutem excipias, nullum discrimen erit. In eam æqualitatem, in hunc ordinem, ubi nec liuor, nec odium, nec inuidia est, quisq; absq; naturæ, aut fatorum iniuria uocatur quando nemo huius expers itineris esse potest. Facit solum opinio quædam hominū falsa, lætam rem, difficilem, atq; onerosam. Sic & itinera, & studia, & congressum regum, quicq;

Quæ harum rerum expertes sunt, magnificiuntur
 at qui assueuerunt, nihil ea esse cognoscunt. At
 uero cum plures, etiam cum non experti essent,
 timorem hunc neglexerunt; semetipso ob leui-
 simas causas occidentes. inter quos Dioxippus
 athleta, furti in simulatus (ob Macedonum in-
 uidiâ) apud Alexandrum, cum falsa esset ac-
 cusatio: gladio se transfodit, iniuriam prius te-
 status. Quendam patritium literis uacantem,
 ob non impetratam gratiam apud mulierem
 Patauinam, quam deperibat: ueneno sumpto
 mori uidimus. Alius conciuis noster, cum ia-
 cturam in frumenti prætio fecisset, laqueo se
 suspendit. Alius & idem patritius, cum æs alie-
 num non tam commode dissoluere posset, in
 puteum se præcipitans extinctus est. Mulierẽ
 uidi quæ cū adulterium commisisset, tædio ui-
 tæ, etiam spe ueniæ proposita, uenenum sum-
 psit. Cleopatra ne in triumphum duceretur,
 & ipsa uitam, cum potestate retentura, si uixis-
 set, serpentum tamen morsu mori uoluit. Ho-
 nestior scœmina, sed minore periculo, Portia
 Catonis filia, & M. Bruti uxor, conjugis audi-
 ta nece, cum ferrum subtractum à domesticis
 foret, prunas hausit: & sic mortem inuenit. Iu-
 stiore causâ, puer Democles Atheniensis quæ
 Demetrius rex deperibat (erat enim formosissimè

mus) cum obseruato tēpore in balneo existētem, nudumq; rex per uim aggredi destinasset in feruentem aquam se iniecit, & extinctus est. Nota est Lucretiæ mors, quæ cum inuita uim passa foret, uolens, se transfodit. Alexandro Magno uoluntarię necis exitus, nō animus defuit: cum enim Clitum amicū ebrius occidisset, inedia se cōficere uoluit: uixq; precibus, & tri amicorum omnium, post triduum reuocatus est. Idem cum Sudracarum Indiæ oppidum expugnaret, è muro in ciuitatem profiliens, non dubiæ morti se obiecit. Solus in hostium urbē, & præcipitiō delatus: sed fortuna euentum minime passa est. Non feret liber exempla eorum, quæ ob metum, uel amorem, uel dolorem, aut irā, aliāsue causas leuissimas, mortem ascuerunt sibi: cum ultro ad certum exitum etiam integræ legiones properauerint. quales etiam qui cum Leonida, contra Persas, iuxta Termopylas pugnauere. Quid igitur & uolentes, & tant leuib; incitati causis (si esset mors magnū malum) sustinere decreuissent: quando non ætas, non sexus, nō gradus ullus dignitatis, eos à proposito deterruit? At uideo quid sis dicturus, Mortem non reformido, quæ cum mala non sit, est etiam necessaria: necessariam autem rem timere: & inane, & turpe, & etiam dampnosum

est: Sed uellem & eam lenem mancipi, & in se-
 nio: qualem Augustus optauit, & consecutus
 est. non enim solum ex senectute diuturnio-
 rem uitam ero assecutus, sed & leniorem mor-
 tem. Censet. n. Aristoteles in libro de respiratio-
 ne: admodum senes, nullo prorsus cum dolo-
 re, imo ne cum sensu mortis quidem interire:
 quod calor qui extinguitur, pexiguus sit. no-
 bis uero aliud satisfaciet exemplum. Nā uelut
 in dente non commoto, si coneris euellere, in-
 gens sequitur cruciatus: at contra si labat, nul-
 lo negotio, & sine dolore euellitur: sic & cruda
 iuuenta, acerbam admittit mortem: senectus
 mitem, ac ut tragicus ait,

Animam senilem mollis exoluit sopor.

Quid uero ambiguum esse potest, mortem
 duram iuuenibus esse: cum etiam somnus ipse
 reluctantē natura, molestus sit. sæpenumero
 enim ex quadam consuetudine somnum extra
 tempus quærentes, sicci, & famelici, nec lassī, tæ-
 dium uoluptatis loco subrepat. Conquereba-
 tur moriēs Theophrastus (& erat senex) de na-
 tura: quod tam longam uitam ceruis, & corni-
 cibus, inutilibus propè animalibus largita eēt,
 homini uerò sapientissimo, & proculdubio no-
 bilissimo, tam angustos æui terminos præfinis-
 set. Quid igitur illis cōtinget, qui in flore æta-

tis intereunt; nonne iusta querelæ occasio erit?
 Certe non: Sed modo causam audi, primo cur
 homini non longissimã inter alia animalia æta-
 tem decreuerit post modum intelliges, eũ qui
 in iuuenta præripitur, eo qui senex, non graui-
 us quicquam pati. Etenim primo illud dubiũ
 est apud multos (præcipue uero apud Aristo-
 telem) an ullum animal elephante excepto, ho-
 mine uiuacius sit: nam nec Phœnicis mentio-
 nem facit, nec coruum, aut cornicem, uel ceruũ
 homine diutius uiuere affirmat. Sed illud quod
 etiam Virgilio tribuitur, fateamur: quãdoqui-
 dem nostra nihil interest, quod poeta dicat, de
 hominibus loquens:

Hos nouies superat uiuendo garrula cornix.

Concedentibus iam ex Aristotele, elephan-
 tem plus uiuere, quã hominem, cur conten-
 dendum erit, seu homo ab uno, seu à pluribus
 uincatur animalibus. Illud etiam consulto pre-
 termittentes, quod sacra pagina longissimos ui-
 tæ periodos quibus nulla brutorum uita suffi-
 ceret, hominibus ascripserit. Illud tantum nũc
 tractemus, quod præ manibus est: scilicet cau-
 sam cur homo ab aliquibus animalibus in
 uitæ diuturnitate uincatur. Causa igitur est
 quod cum cetera animalia, uel ad hominis
 usum, uel ad decorem facta sint: prout li

buit à natura formari potuerunt: cum anima illorum, tam propter corpus facta esset, quàm propter animam corpus: Itaq; simpliciter facta, & paucioribus cum instrumētis, tam quàm solidiora diutius durāt: at hominis corpus cum propter animum tantum factū esset, plura necessaria habuit instrumenta: ut intellectus suo munere uti posset. Itaq; quāquam natura optimam conditionem humano corpori tribuerit, non tamen eam uitę longitudinē assequi potuit: ob nimias concauitates, ac membrorum tenuitatem: quę si magnā fuissent, ultra id quod omnes fuissetus gigantes: etiam inuicem sibi ipsis fuissent impedimēto. iditio huic est, quod nulli animali numerosiora sunt mēbra, seu membrorum partes: quas & tenues, & molles esse necesse fuit: ut etiā exactius formari possent: atq; inde spiritus (animi instrumentum) subtilior & clarior euaderet. Nihil igitur in hoc natura neglexit, tantaq; diligētia uitam hanc nostram adiuuit, ut terminos eius nō ulli homini pœnitendos largita sit. Ostēdunt id nouiter homines, in Indici maris insulis inuenti, annos triginta supra centum superantes. quā in ære bono sine curis uiuant. at nos inter curas, & uoluptates, intempestiuosq; labores: & aerem propter lucrum eligentes; non ad uitā:

nec cuius quàm magis, quàm diuturnitatis eius
 obliti, per assiduos morbos, & corporis incom-
 moda, in præcocem mortem irruentes, naturam
 ipsam immerito breuitatis æui incusamus. At
 fatius quanto esset scire illius uti liberalitate, si
 modo tam cara, ac iocunda, hæc nobis lux est. Cur
 enim philosophos plures, ac heremitas, longis-
 simo tempore uixisse legimus? quorum tamẽ
 ualitudinem, horum nimia abstinẽtia, illorum
 assidua contemplatio attriuerat: nisi quod absque
 curis, & temperate uiuerent. Quãto hæc ratio
 carnibus, & melle, & cena galeni lautiore, ad pro-
 ducendam uitam melior est: At nunc anxii inter
 labores, & curas, & semicrudam noctem perui-
 giles: uenere excarnificati, inter nebulas, non in
 aere habitantes, uinoque decocti, de uitæ breui-
 tate conqueruntur. Sed modo quantumuis bre-
 uis uita sit, facit hoc æstimatio nostra, neque enim
 cum prætermissis pigmeis fabulosis nationibus
 garramantes annum excedant quadragesimum: &
 Iure merito conquerimur, si quinquagesimum,
 aut sexagesimum annum attigerimus. gratias
 enim Deo ageres, si in illorum regione habitas,
 ad eam ætatem peruenisses: nunc proximus il-
 li, aut etiam antiquior: de uita conquereris. Est
 omnis uita longa, quæ ad mortem usque termi-
 natur. cum ab initio constitutus sit terminus,

ac ut poeta dicit.

Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet.

Nōne in Sacra scriptura habetur (numerus dierum & mensium apud te est, statuisti enim terminos qui præteriri nō possunt) omnis itaq; hominum uita senio clauditur, quoniā senium ultima uitæ pars est. Est etiā senectus mortis necessitas, ubicūq; igitur mors est necessaria senectus etiā ipsa iam aduenit. hoc tanto foelicioꝝ est qui in iuuentutis tempore moritur: quod senex existens, senectutis incommoda nō sentit. Vis ne uidere uitam diuturnam, & breuem, cōparatione sola dici. nam animalia ephemera uocata, quæ matutino exoriuntur, iuxta occasum solis occidunt: si in meridie moriantur, breuis uitæ dicuntur: si uesperam attigerint longæ: cum tamen horas uix duodecim excesserint. Admiramur uitę longitudinem in musca, quæ duas uiderit ætates: in pulice qui tres menses attigerit: horum tamen quota pars uita, humana est. canes decrepitos dicimus, qui annum duodecimum ingressi fuerint: homo his omnibus longeuior est, etiam si in iuuenta moritur. Sed non est hominis uita ab annorū multitudine breuis, aut longa dicenda: omnis enim mortalium uita breuis est, quod morte certissima claudatur: facit uirtus, & gesta, uitā

breuem longam esse : ignauia omnem ætatem
 contrahit . Alexander in triginta tribus annis,
 senex extinctus est : multitudine ac magnitudi-
 ne rerum gestarum . Argantonius cum centū
 & uiginti uixerit annos, in iuuenta mortuus di-
 ci potest : quòd nihil præter eam ætatis rarita-
 tem, in tota uita dignum memoria sit consecu-
 tus : Illud uero animaduersione dignum uide-
 ri debet, quòd pleriq; magni uiri in iuuenta ex-
 tincti sunt : Heroum enim nullus ferme, ad se-
 nectam peruenit : Hercules, Achilles, Castor,
 Pollux, Ajax, Iason : tum poetæ Lucanus, Catul-
 lus, Tibullus, nec Virgilio lōgæua uita fuit : nec
 Demostheni, nec Ciceroni : quàm uerum est il-
 lud nimis poetæ.

Immodicis, breuis est ætas, & rara senectus.

Iulius Cæsar, Seuerus, Alexander, Probus,
 Aurelianus, Claudius eius nominis secundus,
 Carus, in iuuenta extincti sunt . homines puto
 eo breuioris uitæ esse, quo probioris : quòd ta-
 les diis cariores, ab eis accersantur . Vnde illud
 etiam ex poetæ sententia dictum recte, quem
 ægida gestans Iupiter, atq; Apollo diligunt, ad
 senectutem non peruenire . Est etiam illud con-
 siderandum, optionem in his querendam, ubi
 uoluntas auxilium affert : at tuum non est, aut
 uitam facere longiorem, aut breuiorem, quòd

si potes facias? nulla quærelæ causa superest: si
 non potes non maiore ratiõne breuitatem uitæ
 defles, quàm mortalitatem: si quidem impossi-
 bilium cura solum stultorū est, & inutilis. At
 modo fac ut iuris tui sit uitam ad senium pro-
 trahere: nonne infoelicior euadis? tum primo
 quòd id munus quòd solum optimum à Deo
 opti. maxi. mortalibus ad mortem leniendam
 datum est, scilicet temporis ignorantia tollitur:
 iuuenes enim bono animo uitam agimus, quæ
 procul abesse mortem putemus: at senex quo-
 modo abesse mortem potest existimare, cum
 iam uitæ finem sit ingressus. Quæ uerum est,
 memorabile illud dictū Beati Augustini: iuue-
 nis cito mori potest, senex diu uiuere non po-
 test. Neque est quòd relucteris: quasi etiam iu-
 ueni, certa mors incumbere possit? nam cum
 nulli tempus ultimum notum sit, iuueni om-
 nino nunquã uitæ desperatio adesse debet: seu
 lætali morbo animam agat, seu inter tormenta
 & uincula destinatus supplicio sit. Ostendunt
 mortalium casus: & nature, & hominum le-
 gem fortunæ subiectam esse. ut immerito qui-
 dem incerta p̄ certis lugeant. Sed fac ut ipsam
 senectutem ingrediaris: quot mala accedunt?
 labores, dolores, tristitiæ, sensuum mors, con-
 temptus; atque quòd omnibus his ferè peius est.

ut Cæcilius eleganter descripsit, quòd uitari ab omnibus se uideant; dicens, Tum etiam in senectâ hoc deputato miserimû. Sentire ea ætate, esse odiosum se alteri.

Ingratus est senex etiam filiis, ingratus amicis, contemptus à iuuenibus, odiosus familiaribus: non sensus corpori, non ratio sensibus, nõ genua toti inseruiunt; noctes insomnes, cibi insuaues: tædet sui ipsius, quomodo non tædebit alterius? Legimus Zenonem Cittieum philosophum, cum ob ætatem mori non posset, se ipsum strangulasse. Quantum diligentia, quantum industria, Cicero adiecit, quo conatu nixus est, ut persuaderet senectutem esse tolleranda: quæ si bona fuisset, atq; uel ut opes, & amici, ac filii, uel eruditio saltem boni speciem præse ferret: non erat quo tantû laboraret ut equo animo ferenda uideretur. Ridiculus enim erit qui uel bonam ualitudinem, uel magistratum æquo animo tolerandum docere uelit. At nos tollerandam senectutem dicimus, optandâ minime. Quot autem hominibus, in iuuetâ mortuos fuisse præstitisset, Priamus non pro miraculo, sed pro exemplo in historiis recitat. Paucos ab hinc annos Badius Valor filium indolis egregiæ iuuenem, ante oculos capite mulctari uidit, & ipse protinus moriturus. Anno præcedente

dente iam duos alios senes, conlimini exitu perfunctos uideram. Vnde Theramenis sapientiæ admiror, qui cum è ruina domus solus euasisset: gratulâtibus amicis, dixit, O fortûa, ad quâ igitur me seruas occasionem? nec errauit. inuidia enim cæterorum tyrânorum excruciatu, & extinctus est paucis post diebus, quàm ruina euaserat. Itaq; ea est conditio mortalium, ut si cōtingat etiam postquam senex fueris, ad iuuentutem redire: ac, ut de Æsone poeta fabulatur dicens,

Ante quater denos, nunc sex reminiscit̃ annos:
 Dissimilem q; animum subiit, ætate relicta.

Quis tam es amens, aut uitæ cupidus: ut conditionem eam recipias? Modo cum nihil supersit præter morbos, curas, contemptum, pericula, tædium, cruciatum, cur cupias uiuere non uideo. Et si iuuenta, cum omnia florêt, uires, sensus, forma, ingenium, auctoritas: non raro piget uitæ: qd facturus es ea ætate, in qua id solum audis, marcidus senex, delirus senex. Iuuenis mors minus est semp̃ immatura, quàm senis tarda. At si te timor cruciatu exagitat: morbus senectutem fingit: quâdo & in eo paulatim sensus extinguitur. Sin quòd tu solus ab eas: ne time: ibi plures inuenies, quâ relinquo. at uero qui relict̃ sunt, quàm breui consequē

tur: etenim.

Longius ad manes properat ordo

Agminis mœsti.

Nec sustinent diui quęquam ordinem suū
deferere. fata enim omnes urgent, & immota
manet lex. quin sceliciores sunt quanto citius
ab hoc munere absoluuntur. Ac ut in damna-
tis lex eos prius occidit, qui minus noxii sunt,
& minus peccauerunt: deteriores, & fortiores
animo, spectatores alienę mortis prius fiunt,
quàm suam experiantur: sic quos diui diligūt,
non spectatores relinquunt, sed præcursores fa-
ciunt: ubi non alicuius insignis utilitatis causa,
aut suis, aut mundo concedantur. Deniq; cum
nihil in malis, atrocius sit diuturna, atq; certa
expectatione: senectus utrūq; ferens, cum uene-
rit: optare facit ut quisq; iam se mortuū in iu-
uenta cupiat. quod igitur sero, & inutiliter tūc
queritur, si eueniat, boni consulendum est. Ma-
trem meam Claram Micheriam, iuuenem ui-
di, cum admodum puer essem: meminiq; tunc
dicere solitam, Vtinam si Deo placuisset, extin-
cta forem in infantia. Cum causam rogarē iu-
uenis iam factus (hoc enim semper in ore reti-
nuerat) respondit: iam scire se moriturā, & ma-
iore animi periculo: cæterum nihil eē interim,
quod si diligenter expendatur, non maiore tri

stitionem afferat, quam hilaritatem. Nam calamitates cum sunt uoluptatum memoria, cum preterierint, offendunt. & iure merito, Quid enim in hac uita est quod delectet? assiduam tedium uestiendi & nudandi singulo die, inde fames, sitis, somni non maior copia & tranquillitas quam mortuis calor æstatis, frigus hyemis, turbines temporum, minæ bellorum, parentum imperia, tædia coniugis, filiorum anxia cura, seruorum contumacia, fori lites, ac quod his omnibus etiam deterius est: conditio scilicet temporum: in qua probitas, pro fatuitate contemnitur: dolus pro prudentia colitur: artifices non à peritia artium, sed ab ornatu & uanis uulgiuocibus habentur excellentes: ut ferme necessarium sit aut Deo displicere: aut ab hominibus contemptos, & uexatos in miseria uiuere. Mitto omnia mala, solum id quod cum mortuis commune habemus, non malum est: cætera omnia quæ mala non appellamus, his quæ defuncti patiuntur deteriora sunt. Reliquum est tandem ut de mortis genere aliquid dicamus: consulto enim prætereundum ante fuerat, quoniam & multiplex est, & consideratione dignum, à pluribus existimatur. Namque acerba mors, & ob iuentutem non facile discedente animo, & ob cruciatum, & ob turpitudinem, & quia certa

fit dici solet: omnia tamen hæc, in publicis ani-
 maduersionibus coniunguntur. ibi plerumq;
 iuuenes, turpi, & crudeli, & certo læto tradun-
 tur. Verum cum uideamus p̄ferosq; è plebe, eã
 satis patienter ferre: non uideo cur maiore cæ-
 teris indigeat consolatione, præsertim cum tur-
 pem mortem, non genus eius, sed sceleris culpa
 efficiat. Namq; si ad genus solum respicias, plu-
 res eorum qui sic mortui sunt, & coluit antiq;
 tas, & nostra ætas ueneratur. In tyrannorũ po-
 testate, mortis tempus, atq; modus semper sue
 rei innocẽtia uero in eius qui moritur arbitrio.
 Nec potest publica mors esse cum dedecore, si
 uita omni prorsus flagitio careat. nã mors pu-
 blica quæ sine scelere est, non solum argumen-
 tum est uirtutis, sed experimentum. Primus
 Christus trophæum tulit ex noua lege. inde in-
 numeri martyres: prophetarum etiam ut q;sq;
 optimus, sic pessimo mortis genere mulctatus
 est: Esaias enim sub Manasse rege serra sectus
 est, Hieremias à populo lapidatus, Amos ue-
 ste per tempora transfossus, Ioannes baptista
 rapite mulctatus. tum deniq; alii plures uiolen-
 ter trucidati. Nec melior gentilium optimorũ
 uirorum apud reges, uel ciuitates fortuna. ue-
 rum non effugisse, sed optasse eam uident. nem-
 pe Zeno Eleates, cum liceret in domo sua quie-

tē uiuere: Nearchum tyrannū expugnare ag-
 gressus est: sed deprehensā coniuratione, in cru-
 cem agebatur: ibi populum uerbis accendit, ut
 tyrannū lapidibus occiderint. Theodorus Cy-
 renæus Lysimacho regi minitanti crucem, re-
 spondit, Quid refert an cadauer meum in ter-
 ra, an in sublimi putrescat? Socrati cum liceret
 uel silentio mortem euadere (damnatus enim
 poena pecuniaria tantum fuerat) eos à quibus
 damnabatur, in necem suam accendit. & cum
 Xantippe uxor quæreretur eum iniuste occi-
 di, respondit an mallet iustè sentiens non esse
 malum, præter culpam. non est igitur turpitu-
 do in morte, sed in mortis causa, si à uicio, & de-
 decore ortū habuerit. At uero cruciatus, & iu-
 uenilis ætas, & scientia, nihil addunt: nāq; sci-
 entia eius quòd malum non est, mala esse non
 potest: sola uero mors post cruciatus lenissima
 est. At uero tormenta uel magna esse non pos-
 sunt, uel non diuturna. exemplum autem om-
 nium Christus tulit, ut & in exemplum transi-
 ret. Cæterum innocēti rarissime mortem cum
 cruciatu contigisse: uixq; semel, præterquā in
 legum mutationibus, in quibus innocentes no-
 centes contumacia fiunt; historiis mandatū est.
 Rarissimū etiam est omnino exemplum mor-
 tis uiolentæ, in innoxio, si absit pertinacia: ut q

sicprobi uiri occiderint, quasi uoluisse uidean-
 tur. At quàm leuis res mors sit, etiam & publi-
 ca, uel cum ferro, exemplis apparet. Iulius Cæ-
 sar cum occideretur, postquàm animaduertit
 cunctorum gladios in se districtos, nec defen-
 sionem irritam molitus est, nec uocem emisit
 lugubrem: cadens etiam tunicam inter ueren-
 da deduxit, ut honestius caderet: decoris in mor-
 te, & inter uulnera nō oblitus. hūc gener apud
 Lucanum imitatur si qua poetis fides habenda
 est namq; Pompeii cædem describit his uerbis
 tunc lamina pressit.

Continuitq; animam, ne quas effundere uoces
 Possit, & æternam fletu corrumpere famam,
 At postquã mucrone latus funestus Achilles
 Perfodit nullo gemitu consentit ad istum:
 Despexitq; nephas, seruatq; immobile corpus.

Cato uticensis cum se destinasset morti, cun-
 cta composuit prudentissime: aliorum salutem
 consulens, qui suam negligere proposuerat: in-
 de lecto Platonis libro de immortalitate animo-
 rum, quieti se dedit, ac dormiuit: tam alto som-
 no ut exaudiretur: post expergefactus, se trans-
 fodit. cumq; ob manus debilitatem altius, uul-
 nus non insedisset: obligatumq; ab astantibus,
 salutis spem prebuerit: dilaceratis mox omni-
 bus, etiam intestina effudit, tãta fuerat morien-

di fitis. Otho imperator, triginta septem natus
 annos, ac mollis, & effoeminatus ab omnibus
 habitus: cum tribus uictor præliis, uno uictus
 à Vitelianis foret: senatu fauente, incredibiliq;
 militum amore non sine maxima spe retinēdi
 imperium: ne tamen aut uictus, aut uictor rei
 publicæ iacturæ esset: tentatis duobus pugio-
 nibus in uespera, prudenterq; compositis re-
 bus, diuisis etiam inter amicos pecuniis, somno
 profundissimo se tradidit: inde solutus, cum li-
 bertum monuisset, ut militibus se ostenderet
 ne ab eis occideretur, tanquam mortis suæ con-
 sciens: se transsodit. atq; uno tantum gemitu ui-
 tam cum morte commutauit. Canus Iulius, à
 Caio Imperatore damnatus: dies decem impe-
 trauit ad supplicium: quos omnes absq; ulla
 solitudine, latrunculis ludens, dormiensq;
 transegit. cum nuntiaret centurio horam insta-
 re, numeratis calculis, monuit collusorem: ne
 post mortem uicisse se iactaret, cum ipse plu-
 res haberet calculos: testemq; uoluit centurio-
 nem. inde ductus, philosopho comitanti, ac ro-
 ganti quid cogitaret: respōdit. Obseruare pro-
 posui, an extremo illo momēto. animus meus
 discessum sentiat: amicis postea renunciaturus.
 Aratus cum uenenum tabificū a Philippo Ma-
 cedonū rege accepisse se cognouisset: uno tan-

rum uerbo apud familiarem emisso, reliquum
 tempus tam leniter transegit usq; ad mortē: ut
 nō certus de morte, aut propinati ueneni, sed
 ex casu languere, ac ex natura uideretur. Septē
 fratres fuere unius matris filii, adolescentesq;
 Machabei uocati: q; uolentes omnes, unus post
 alium, diuersis affecti cruciatibus, unā cū ma-
 tre, Antigono rege iubente occisi sunt. Testa-
 mentes ab Ephoris morti damnatus, abibat ri-
 dens: cum interrogaretur, an etiam leges con-
 temneret: respondit, Nō, sed mulctam soluere
 me oportet, quā nec petii, nec à quoquā mu-
 tuo accepi. Id tamen exemplum etsi à Cicero-
 ne sub ignoti persona relatum, multum laude-
 tur: graui tamen iudicio, uanitatē hominis,
 potius quā fortitudinē refert. neq; enim na-
 turaliter homo mortem, præsertim sceleris cō-
 uictus, amare potest: nec nostri etiam hoc insti-
 tuti propositum fuit, ut ostenderemus mortē
 quærendam esse. utq; infidi est nolle depositū
 reddere, sic nec amici, nec grati retinere nollet.
 Ut igitur mors nec fugienda est, nec lamētatio-
 nibus deploranda, sic nec occupanda: sed ut
 poeta ait.

Summum nec metuas diem, nec optes.

Verū oratoribus talia referre conuenit: quæ
 & si ratione careant plurimam tamen uim pro-

pter admirationem, apud uulgos reuident. Ho-
 nestius itaq; Theramenis exēplum, ac cordati-
 us dici potest: namq; is cum iniuste à triginta
 tyrannis damnatus, lætiferum poculum ebibis-
 set, quòd reliquum fuit, in terram elisit: dicēs,
 Critiæ pulchro propino: uetusto atheniēsum
 more, qui in conuiujs pocula è manibus, ami-
 cis tradebant, erat autem Critias, is tyrānorum
 deterrimus ac Theramēi infensior. Clarioris èt
 tranquillitatis fuit Phocionis mors: namq; ut
 minus eo magis: compos enim sui, amico uene-
 num haurire prius cupienti, cessit: demum cū
 deficeret, emit: testatus eam tantum uocē quā-
 do nec mori Athenis nisi empta nece licet. Sed
 cur diutius hominum exempla refero: cum li-
 ceat integras nationes, in testimonium afferre.
 siquidem Galathe, ad eò mortem cōtemnunt,
 ut nudi pugnent. fuerunt & Romanorū exem-
 pla insignia, & germanorū: ut pudeat iam hāc
 causam in iudicium amplius uocare. Verū me-
 lius esse puto breui oratione complecti ratio-
 nē, cur mortalis homo factus sit ea triplex est:
 Prima ut ærumnarum aliquis finis inuenire-
 tur. grauis est hæc uita, & quanto ad seniū pro-
 ducit, eo molestior est. Vnde bene Gimno so-
 phistam fertur Alexandro respondisse interro-
 ganti, quid nam fortius esset an mors an uita?

uitam fortunore, quæ tot calamitosa ferret. Alte
 ra causa est, ut boni absq; inuidia celebrentur,
 mali absq; timore damnentur: opesq;, ac poten
 tia, quorum causa mortales tot admittunt sce
 lera, in nullo pretio sint. recte enim mortalium
 res si æstimentur, anxia cura, & impia eas dam
 nat. at si mors non esset, homines ad rapinas, &
 uolentiam tantum animum intenderent: quã
 do quidem etiam tam breui eorũ uita existen
 te, nihil aliud cogitent. Tertia ratio ad mercedẽ
 bonorum, & malorum poenas facit: cum post
 interitum qui uitam religiosam coluerint: cũ
 amicis, & fratribus, & maioribus suis non tan
 tum, uerum etiam cum honestissimis, ac erudi
 tis uiris conuersentur: supraq; stellas, & in locis
 amcenioribus iocunditate fruuntur sempiter
 na, cõtrà impij: in tenebris, & solitudine, uexan
 tur. Quare solis improbis mors mala uideri
 potest: cum tamen non sit, grauioribus enĩ eos
 cruciatibus subtrahit. at bonos Cycnorũ exem
 plo (qui non alias, quàm cũ sunt morituri, sua
 uis occidunt) lætari maxime conuenit. Sunt
 etiam nonnulli tam ambitiosi ut sepulchri cu
 ra eos torreat: qui non consolandi, sed accusan
 di tam stultè ineptiæ erunt. Quid enim homi
 ni corpus est, cũ anima secesserit. nec enim ho
 minis amplius pars est cadauer inutile, fetens,

horridum: quod Seneca mādari sepulturæ inuentum iure estimat: non mortuorum sed uiuentium causa. ne scilicet iacens, & odore, & aspectu homines offendat. inde tot natiōes, tot modi condēdi cadauera. Græcis enim mos fuit terra obruere. Romanis igne cremare. at Nabathej etiam reges suos in sterquilinijs sepeliūt. Æthiopes piscibus deuorādos in flumē eiiciūt. Magi olim obiiciebant feris. Hircani canibus. at Massagetæ quòd maius est uorant. Ægyptiū unguentis condiunt. Persæ cera obliniunt. tam incerta est ratio, ubi nulla est ratio. stulte nonne audis poetam dicentem.

Facilis iactura sepulchri.

Quid iuuat an sis in marmore, an in humo excelsus, aut in uentre terræ, num te sollicitat quòd operimento careas: nempe timendū non est, cœlo tegitur qui non habet urnam: dicebat poeta: Quid regibus generosa sepulchra, Pyramides, laberinthi, colossi, mausolca. hanc scelicitatem ne obolo uno emerit qui sapiat. splendide structuræ hæc nomen auctoribus certe dederunt, at propter putre cadauer condendū si fiant: quid aliud argumentum est? quàm insolentis animi? & eius qui nec in morte inanis ambitionis uelit obliuisci, & desipere desinere. At uero sollicitudo hæc à Sylla ccepit, ut etiam de

busto curaret: primusq; contra morem Come-
 liae gentis sepeliri noluit, sed cremari: quòd ti-
 meret erui, & ludibrio patere, cum id ipse in
 Marii busto curauisset. At quanto melius Dio-
 genes ille cinicus, cum morti proximus, & sub
 arbore iacens rogaretur ubi sepeliri uellet: re-
 spondit, ut sic eum permitterent: dicentibus il-
 lis feras eum laniaturas: petiit baculum: cumq;
 amici dicerent eum nullo usui futurum, cum
 sensu esset cariturus: non inepte Diogenes eos
 arguit, dicens, In quo igitur mihi erunt dam-
 no nihil sentienti. Accedit huic rationi quòd in-
 certum est quid abiecta cadauera faciant: sepe
 enim opinionem quandam diuinitatis pepere-
 re: ut Cleoni Lacedaemoniorum regi. cū enim
 excoriatum cadauer in crucem sublatum esset
 apparuit serpens qui abigeret uolucres carni-
 uoras: inde orta religio quasi Deorum custo-
 diae corpus innocentis uiri esset: coepitq; adora-
 ri tam stultè, quàm etiam erat cruci impositū
 & ludibrio affectum. Simile quoddā Clearchi
 cadaueri Cresias accidisse refert: nata enim syl-
 ua super ipso pro Deo coepisse adorari. At nūc
 etiam superstitione manet eorum qui insepulti
 iacent: quòd manes uagentur. tantū potest me-
 moria uetusti erroris, & metus solitarie uagan-
 tium. Sed iam ista inutilia mittamus & de lu-

est, ut ab initio fuerat propositum loquamur.
 Primoq; parentum, quod eis non solum amor
 sed & pietas lachrymas cedere soleat: nec ullos
 honestius lugere uideamur alios, quam eos à
 quibus progeniti sumus. debemus hoc amori,
 debemus charitati, debemus pietati: & si quid
 ad rem suam luctus filiorum facere posset, cer-
 te lugendi essent: nunc cum nihil prorsus con-
 ducat: uidendum an saltem honeste, aut non
 absq; ratione lugeri possint. in quo primo uni-
 uersalis quaedam mihi ratio succurrit omniū
 eorum, quos per mortē amiserimus. Aut enī
 ipsorum gratia qui obierint, aut nostrum qui
 relictī sumus dolendum est: at uero si illorum
 causa doleamus: uel adhuc superesse animum
 credimus, aut unā omnia interiisse: equidē qui
 unā omnia interiisse putat, & illius causa dolet
 sic deploret, Hei mihi quod iam amplius non
 eris sitibundus, famelicus, frigus, æstuans, do-
 lens, febriens, iniuriæ, & calumniæ expositus:
 atq; quod magis est non amplius morieris: ut
 ego. at dices ridiculus ero si sic plores: tu uero
 necogitas quāquam id nō dicas, tamen omnis
 hæc sic esse. moriēdum est procul dubio, quis
 dubitat: mors ut putas mala est, cur igitur illū
 qui euasit de flere uis, & non te ipsum qui ma-
 lum hoc inuitabile effugere nō potes: at si tuā

conditionem flere superuacuum est, quòd la-
 chrymæ nihil sint profuturae in re necessaria:
 quâto minus illius lugebis obitum, qui etiam
 eo magis necessarius est, quod iam præterierit.
 At si fuisse eum credis, sic instituendus merito
 luctus erit. heu mihi quoniã ex mortali imorta-
 lis, ex laborioso otiosus, ex misero foelix, ex tri-
 sti iocundissimus, ex obscuro factus es splendidi-
 simus. Quis sic audiens ploratẽ, etiam si unus
 sit ex parentibus, aut fratribus risum possit con-
 tinere. At uero nihil me uides mentiri: quã-
 obrem si adicias (quòd fermè ex animo excide-
 rat) & eius causa lugeo, iam tunc nœnia hec nõ
 ne probe sic præcio digna est. Itaq; cum nullus
 ferè sit tam insipiens, ut audeat dicere se illius
 causa plorare, qui uita functus sit, seu animus
 ipse etiam obierit, seu sit superstes: sic omnes p-
 priam solitudinem deflere dicunt: quæ, si ani-
 mum agnoueris esse superstitem, nulla omni-
 no esse potest: namq; & ille tecum est quãtum
 utriq; expedit, & tu prope diem cum illo futu-
 rus es. At uero caue ut audeas fateri, etiam si te
 cum non sit, te tuam calamitatem deflere: im-
 pudens enim omnino es, ac inuidiæ plenus qui
 tantum nolis illi esse beneficii, ob exiguam tu-
 am utilitatem. etenim si filios Regibus libenter
 tradimus, ob spem futuræ ab illis aliquando

gratiæ, cum tamen principum animus, inconstans sæpius sit: aulicorum uero semper infida societas: & omnium qui seruiunt generaliter neglecta salus: quàm libentius traditum ei acceptum referre debemus, in cuius aula neq; inuidia, nec odium, nec ambitio, nec negligentia: ipsius autem regis animus nec inconstans, aut cuiusquam rei ignarus esse potest. conditio uacat piculo, societas fraude, præmium ambiguitate, tempus sine: & tu eam illi ob commodum tuum inuidere uis: absit. Reliquum igitur est, ut & tui commoda solum metiens, & illius interitum internicinum existimans, iure tibi merito dolere posse uidearis, qui quâquam forte sic moratus, consolatione haud egregia dignus uideri possis: si tamen recte animaduertas, nihil omnino est quod doleas. Nec mireris si tuo animo dignam rationem attulero, atq; in primis, cum tui causa, hoc tantum iniquo feras animo, alius certe illi par aut officio, aut iocunditate, aut necessitate inueniri poterit. sed etiâ fac non possit, aut in promptu non sit: memorare quoties tibi negotium prebuerit, quotiens sua causa in discrimen adductus sis, quoties iacturam feceris, quoties imposuerit immerito tibi: deniq; qualis fuerit erga te uix scire potes, qualis esset futurus nunquã diuinare licebit. quo

tiens à parentibus, à fratribus, à filiis, ab amicis
 oppugnati fuerunt: qui olim ab eisdem defen-
 debantur. Cassius & D. Brutus Cæsarem ad-
 uersus patriam pugnantem adiuuerunt: eum
 Imperatorem factum occiderunt. Stulte admo-
 dum Antonius Octauio sua consilia prodidit,
 amicos patefecit, illius amicitiae fidens, à quo
 etiam adiutus per sæpe in dubia fortuna est:
 cuius tamen timore, postmodum ad uolunta-
 riam necem compulsus est. Alexander suis fa-
 tellitibus donec uixit amicissimus est usus:
 qui eo mortuo, prolem suam, tum affines, alij
 alios perdiderunt: at ipse in unius eorū mor-
 te, luctui haud modum, aut finem ullum inue-
 nerat. Parentum, fratrum, ac filiorum, ab initio
 semper instituta pietas, ac quasi innata: pluri-
 bus tamen quantum exitio fuerit, paulo post
 dicam. At nūc rem ipsam prosequamur. quid
 tam rogo inutile est, aut absq; certo fine, inter
 mortales: quam luctus. qui nec aliis prodest,
 & ipsis lugentibus etiam nocet: quamobrem
 non miror Tracum, & Cæsiorū nationes, in
 morte propinquorum gaudere, & epulari: qđ
 eos absolutos hīc omni molestia sciant: illic fœ-
 licem uitam ducere opinentur. At contra na-
 scentes lugent, quòd ex iocundissima quiete in
 tam lugubrem uitam inciderint. Quorum mo-
 rem

rem quidam ciuis noster (ut audiui) non inelegans, secutus, mandauit, ut cum saltatoriis tibi-
 cinibus efferretur funus. haud tamen scio an
 testamento paruerint, quãquam quo ad luctũ
 attinet, improbari non possit: quod homines
 ea lugeant, quæ nec uitari possint, & ab omni
 incommodo securos tueantur, alienamq; sortẽ
 bonam inspicientes fleant, suæ autem miseriæ
 obliuiscantur. Quid tam frustra est quàm ni-
 hil lugere, si nihil à morte sensus superest: aut
 si uident: tristitia afficere eos, qui amant: aut ab
 hiis irrideri, si cõtemnãt. Equidem si eos dam-
 namus qui amantes, & non amati, coram eis lu-
 gent, nihil profecturi, sed tantum suam osten-
 suri stultitiam: quanto magis si nihil putas su-
 peresse, an fabularum more (& ille tamẽ manes
 proponunt) Euridyce aliquã nouus Orphe-
 us ad uitam lachrymis reuocare speras: hem
 putas si in luctu, uel necessitas, uel utilitas ali-
 qua fuisset: naturam quæ tot uarias animanti-
 bus institutiones, tot uarias artes, tum solertiã
 tam multiplicem, moresq; diuersos dederit: ut
 pro catulis pugnent, parentes alant, obseruent
 in uenere affines, coniugia, uindictam, luctus
 omnino fuisse oblitam: nullum enim animal
 post educationem, aliud animal mortuum de-
 flet: quando tamen & formicæ formicas sepe

liant. ita in nullo quòd necessarium esset ma-
 nere natura in brutis exèplo defecit. At in edu-
 catione necessarius luctus erat, ne prolis paren-
 tes obliuiscerentur, & speciem perderent. Simi-
 liter & prudentissimi etiam legum latores, di-
 uina quadam mediocritate, & popularis stulti-
 tiæ, & utilitatis rationem habentes, terminos lu-
 ctui admodum breues posuerunt. Nãq; Licur-
 gus ultra dies undecim plorare necessarios ue-
 tuit. aut quicquàm funebre facere. Solon uero
 omnia luctus solemnia sustulit; lamentationes,
 eiulatus, lacerationes. Quis uero dubitat si sapi-
 entibus & non uulgo leges condidissent, eos
 omnem luctum ex toto fuisse prohibitu-
 ros. quid prohibitu-ros, immo nec rationem ullam
 eius habituros. Nempe quòd existimassent sa-
 pientem in hac causa, admonendum non esse:
 quòd etiã per se alios plures fecisse uideo. Sed
 iam particulariter de eo dicamus. Quando qs
 parentum alterum deflet, uelim ut mihi dicat,
 an cupiat potius illum superuixisse, se autem
 mortuum? equidem ad hoc ueniendum om-
 nino est, ut uel filii ante parentes, aut parentes
 ante filios, aut unã omnes, tam quàm in exci-
 dio domus moriantur. At uero unã omnes in-
 teriisse, pro summa calamitate, atq; maximo in-
 fortunio habetur. Sin autem optas te prius ui-

ta functum esse, non solum naturæ ordine peruertis, sed etiam in alterum horum incidis, ut mors sit aut mala, ideoq; minus offendat in parentibus, quàm in te ipso: aut bona, parentibusq; ob pietatem præoptanda: namq; malum à se abigere maxime unicuiq; conuenit: bona autem his optare, quos clarissimos habemus: & propter pietatem colimus. quid uero in illis defles, quòd à senio sublatis sunt, quòd neq; sociis attigisse præstat: aut in aliis deploras, quòd in te ipso fortiter ferèdum iudicas. An uero ut uetula illa orbitatem luges: sed rem referre libet uenerat Anus quedam ad ostium pauperum, panem petens, atq; id subiiciens, se parentibus orbam esse: id cum nos primo quasi uerbo attoniti haud intelligeremus, unus è sociis interrogauit quantula ætate esset: cumq; respòdisset Anus, septuagesimum excessisse annum: risimus intellecta re, quamuis miseresceret nō parum: mulier septuagenaria, orbam se parentibus cōquæritur. itaq; uide ne tu dum luges risum aliis commoueas. Quid uero facturus esses si more quoddam uetusto Iulienfium ciuium coinfulæ incolarum senes à sexagesimo anno, edito certamine in pompa ex urbis instituto iugularentur, quòd inutiles ultra eā ætatem homines è republica sustulisse magno cō-

modo & uilitati annonæ cessurum uideretur.
 Namq; lex hæc, etsi sæua esset, prospicit tamē
 omnis lex utilitati cuidam publicæ. quòd etiā
 Caspios factitasse uideo, cum enim ea regio ho-
 minum ferax sit, frugum uero inops: parentes
 post annum septuagesimum inclusos fame ne-
 rant: quòd ut nimis ferum, ac barbarum, & à
 nullis belluis imitatum est: sic & mors senibus
 parentibus superueniens, tam æquo animo tol-
 leranda erit? ut intelligamus eos omnem exple-
 uisse infortunitatis cursum, nos in turbulēto cer-
 tamine curarum relictos esse: tūcq; desuisse, cū
 ipsi reipub. graues, illis sua uita molesta foret.
 Cur nam putas Babylonios senes illos morti
 sponte solitos se tradere? nisi quòd & seni mor-
 tem uita potiozem esse, & senem urbi. mortuo
 inuiliorem agnoscerent, iam uero nō sit senex,
 quòd Melitide stultior sit, qui mortē in sene-
 cta lugere uelit: sed iuuenis parens, robustus, fa-
 miliae utilis, consilio necessarius, in ipso geren-
 darum rerum ardore creptus: non illud in quā
 dices prauī filii tecum, cur tantum distulit, ue-
 lut quidā qui se ex familia nostra Cardanorū
 iactabat, qui moriente patre saltauit, omnibus
 uidentibus: illud etiam adiiciens, quā serò,
 cum familiares illum animam agere dicerent.
 At hic impiū animi, nedū reuoluto anno poe-

nas dedit, longo tabo extinctus : impleuitq; illud Moſaicū, Honora patrem, & matrē ſi uis longæuus eſſe ſuper terram, quòd etiam gentiles cognouiſſe uideo, etenim Homerus i Iliade teſtatur, eos breuem ætatem agere, qui parentibus munus nutritionis non reddiderint, tātus eſt ueritatis conſenſus: acciditq; hoc ut dæmonio agantur: nempe aliter tanti ſcleris conſcii eſſe non poſſunt. Inde in fauſtis cunctis luminibus, præcipites corripuntur à numine : ne quæ ſpreuerint, poſſint attingere, eſt autem hominis natura dæmonia, & quæ tam impia eſt, ut nephariæ in parentes ruat, neq; compos eſt ſui, neq; benignum in ſe quicquã continet: quo fit ut neceſſario breui conſumatur. Sed ut improbi filii eſt parentum odiſſe uitam, ſic ſapientis eſt illorum mortem & fortiter ferre, & in ſuum cōmodum uertere. optimorum exemplo medicorū, qui ſi non deſint medicamēta, haud uenena pro illis ſubiiciunt: at uero ſi uenena in manibus ſunt, longius uero quærenda ſint cætera auxilia, etiam uenenis ad depellendos morbos utuntur. Ita ſapientis quæcunq; mala, bene utēdo eis proſpera efficere ſolet. inde primum ſubit adminiſtratio rei familiaris. exemplū prudentiæ, gloriæ certamen: quæ omnia patris præſiue reuerentia, aut obſcurat, aut tollit. habet.

enim patria potestas maius aliquid etiam ipsa
 seruitute, ad egregias res gerendas impedimen-
 tum seu in re bellica, seu literaria, seu etiam rei
 publicæ administratione: cum omnia male ge-
 sta in filium, bene in patrem referantur. quem
 si colit, haud dissimulare potest, cōsilio eius cū-
 cta facta esse, etiam si non fecerit. si negligit, uel
 ipso scelere execrandus est. At qui sponte filio-
 rum gloriæ cedere uoluerint, tam rari sunt, ut
 Antiochi regis erga Demetrium filium lenita-
 tis exemplū, pro miraculo sit. Auxit hanc cau-
 sam, etiam euentus ipse: cū omnes qui illustres
 armis, aut literis, uel dignitate in republica cua-
 serunt: patrem ab adolescētia amiserint. ut Iu-
 lius Cæsar, Octauius Augustus, Alcibiades, Ci-
 cero, Galenus, Aristoteles, qualis fuisset Alexan-
 der: si Philippus uel quatuor adhuc annis su-
 peruixisset: cum enim bellum cū Dario incho-
 asset Philippus, uictor gloriā, uictus faculta-
 tem bene gerendæ rei Alexandro relinquere
 non poterat. ut igitur ignauis, ac perditis, sem-
 per paterna mors impedimētum attulit: sic ge-
 nerosis uiris uia est, ut quales sint ostendere se
 possint. Illud etiam præ oculis perpetuo habē-
 dum est, uitam, mortemq; , p̄cipua esse dei do-
 na: quæ semper ex eius pendeant providentia.
 ideo qui mortem, aut uitam damnat, diuinum

iudicium tacite subsanat, de eoq; conquæritur quòd utriq; & opportunū, & utile existit. atq; tum maxime, quòd ubi eos læseris, aut non dolendum est, amisisse quos oderis, aut illud potius dolendum, quòd erga eos impius fueris. At uero nunc tutus es, ne uel impietatis flagitio coinquineris, si ab eorum offensione cauisti & ne uel nolens infortunio tuo efficias tristiores quantum etenim Hæctori, ac Polyti, expedierat Priamum prius mortuum esse: qui illorum misero casu, adeo est contristatus, ut mortem suam contempserit. nonne felicior Hæctor est in morte, ob Astianactē, quàm ob Priamū namq; illius miseriam, ne oculis uideret, moriendo effugit, hūc miserum morte sua reliquit. Sed hæc omnia optimorum parentū, lenimenta sunt: At uero quot tales fuere, quos quāquā odisse sit nepharium, non tamen amasse est necessarium, alii enim communem reliquum parentem sustulerunt, uelut Clitemnestra: quæ cum Agamēnonem occidisset, ab Oreste communi filio interfecta proditur. sic & Almeon, matrē Eryphilem, quòd in Amphiarai patris nece cōsensisset, necauit. Vulgare hoc est exemplum neq; tales diligere parentes conuenit: quòd etsi uitam dederint, inuiti tamē eò id fecisse uideantur, quòd eos sustulerint, per quos in ui-

tam ueneris. unde Lycophron necis maternæ
 auctorem Periandrum patrem nec fame ene/
 etus, aut salutare, aut alloqui sustinuit. At ue/
 ro quàm perniciosiores sunt, qui filiorum uite
 insidiantur: neq; tanti facinoris tam rara sunt
 forsitan exempla, quàm putas. Sustulit Mitri/
 dates filios, etiam si per eum licuisset, usq; ad
 orbitatem peruenturus. Theseus uero Hippo/
 lyto, immeritæ mortis causam attulit. referunt
 q; Medeam filios proprios laniasse. quàm cer/
 tius fuit de Catilina, qui iam puberem filium,
 non alia causâ, quàm impetrandarum nouarû
 nuptiarû, ueneno sustulit. Macheus Dux car/
 thaginiensium, Carthalum filium in cruce su/
 spendit, è uictoria redeuntem: quòd solû pur/
 puratus, & cum uictoriæ insignibus, patri exu/
 li obuiam processisset. Huic igitur tam crudeli
 parenti, imò sæuæ belluæ, alius superstes filius
 in funere lachrymas fundet: at quanto crude/
 lius Laodices Ariaratis regis Cappadociæ uxo/
 ris facinus, quæ cum ex coniuge filios sex susce/
 pisset, quinq; ueneno sustulit, sextum etiam mi/
 nimum natu conata auferre ex uita, si affinium
 diligentia subtractus matri non fuisset. quæ nã
 fera atrox, tam nephandæ matri potest confer/
 ri. equidem Feles, & cuniculi patres, filios nup/
 natos, ab ingentem libidinem si licet deuorât.

at matres quæ in brutorum genere filios occi-
dant, neq; legisse me memini, neq; si scriptum
esset crædere uix aueré. Simili feritate Euer-
getes Ptolomeus duos filios, alterum iam pu-
berum, alterum impubem ex Cleopatra susceptos
sorore crudeliter occidit: etiã addito ludibrio.
horum parentum ac similiũ quàm stulta mor-
tis miseratio est. Vidi nobilem fœminam, quã
non obscurum est, ob adulterium, coniugem
ferro, filium impubem ueneno intra dies quin-
decim ad nouas impetrandas nuptias sustulis-
se: sponsaliaq; inter funera coniugis, & unici fi-
lii celebrauit. At uideo quid sis dicturus, non
talem defleo parètem, sed iustum, bonum, piũ,
mei amantissimum: qui scis an in posterum ta-
lis futurus sit: nempe etsi qui filios aut coniu-
gem necauerunt, ab initio tales statim fuissent,
sublati à cunabulis subito essent: at cum uideas
nullos illorũ eo tempore sæuisse, sed post mul-
tos annos, inditio est. eam improbitatẽ, uel tem-
pore accessisse, aut tẽpore natã occasionẽ. Quã
obrerẽ nihil tã in uniuerso incertũ est, quã gratia
seu in filios, seu in fratres seu i coniuges, aut in
parentes, uel amicos, aut dominos extendatur.
Multa tegit calliditas consilii, alia fortunæ hu-
militas, alia occasio, alia prudentia: quæ omnia
ætas superueniens, uelut in arbore cicatrices

etiam minimas auget, ac detegit, sic senectus adueniens, aliquando ob potentiam, sepius tamē ob stultitiam, & improbitatem illorum quorū opera necessaria, ob ætatis imbecilitatem utuntur: quorumq; consilio reguntur, multa indigne in innoxios filios admittere cogit: quorū causa miseram perpetuo uitam, illi ducant. alii exheredantes, alii patrimonia suppilantes, alii nouas nuptias, nouercaliaq; odia superinducētes. quorū iniuriam auget, insita senectuti morositas, ac sæuitia: Vtq; unius exemplo tot stultorum, sapientissimi uiri Catonis censorini satisfaciam: hic filium iam grandæuum habens, furtiuo cōcubitu prius, post etiam infamibus nuptiis uilis foemina, totam ante actæ uitę prudentiam deturpauit: ac coheredem Cliētis nepotem, filio iam prætorio uiro reliquit. Quid igitur mihi necessarium est, aut Lysandru, aut Tiberium, cæteraq; monstra in senectute nō solum flagitiosa, sed infausta commemorare: quādo integritas, ac prudētia romana, ætatis uitio, etiam lapsa sit. Quare cum pluribus etiam fratrum multitudo paupertatem pariat, qui insignes futuri angusta re familiari prohibentur egregium quicquā facere: cōfiteri debet qsq; in parentum funete pietati plurimum, luctui omnino nihil debere. Multo uero minus, fra

trum mors anxium quęquàm facere potest, si recte res hominum ex ratione estimare uelit: idq; primo, quòd etiam cum filiorum interitu est præponendum, an ubi solus, & absq; fratribus natus esses, non natos fratres etiam lugere uelles? equidem cum nullum hoc facere uiderim, uix puto ut quisquã luctu dignum dicat, quòd absq; fratribus natus sit. At uero etiã si dum infans extitisti, fratres plurimos amissis an & nunc illorum luctum renouare uelles? & illud etiam scio negabis: quippe quòd incognita nō diligimus, luctus autem eorum est quos diligimus. Si igitur nec nō natos, nec natos, sed tibi ignotos deflere dignum iudicas: multo minus iure merito qui nati sunt, & adoleuerint, deflẽdi erũt. Nam si fratres habere malum est, amissis lætandum erit. si bonum, cum in cunctis bonis melius sit aliquid habuisse, quàm ex toto caruisse, quis dubitat iam adultos minus esse lugendos, si moriantur: quàm eos qui uel nunquam sint nati, uel nunquam cogniti: ea enim est ratio malorum, ut perpetua semper sint molestissima: inq; omnibus his q̄s aliqua iocunda existat. Nonne in fame duos panes habere melius est, quàm nullos? inter assiduos labores nonne; requies etiam per breuis gratior est, quàm omnino nulla: nonne in carcere

diecula libertatis, minus molestiam efficit solitudinem? qui misere uiuunt solantur, si saltem aliquot annis iocunde se uixisse meminerint? melius igitur cum sit fratres habuisse, unâq; cohabitasse, colluxisse, uixisse: quàm horum omnium expertem fuisse: at ille qui omnibus his caruit, nec plorat, nec dolet, nec omnino meminit: quid igitur tu illo longe foelicior conflictaris? Sed facit hoc falsa imaginatio, ac rerum opinio, qua & illum non solum, sed & te ipsum quasi coeternum tibi finxeras: qua merito fraudatus spe, immerito post modum fratrem luges. quid si ab initio statim, uel solitudo, uel frater unicus tecum quadraginta annis, superuieturus proponatur? an uelles potius solitudinis recipere conditionem? nempe non: nisi fratres habere p̄ malo duxeris. At uero si iam recepisses, solitudinis optionem non doleres: nunc meliore conditione accepta doles. quid hoc est, nisi quòd nunc ad mortem fratris sustinendâ es imparatus, tunc uero præmeditatus accessisses. mors itaq; hæc non damno, sed opinione tantum intoleranda uidetur, in qua commodi accepti doles, non accepti (cum nulla sit necessitas) neq; memineris. At uero hic tuus frater optimus, atq; tui amantissimus fingitur: non uulgaris, atq; ut dici solet.

Fratrum quoq; gratia rara est.

Equidem si ad quotidianam experientiam spectes: pleriq; sunt morosi, quægulæ, inuidi: nepotes, discordes, reprehensores, contemptores: uentos poetæ pulcherrimæ fratres uocauerunt: quòd diffides semper inter se sint: non amicos, non socios. quasi quòd nullis magis cõueniat discordia, quàm fratribus: hoc enim proprium illorum est. Primus Chaim, ostēdit erga Abel, qualis in posterū fraternus amor futurus esset, inde Iacob, decepit Esau: & undecim eius filii, in Ioseph fratris seruitutem consenserunt: cum etiam aliqui occidendum suaderent: non solū pietatis obliti, sed & communium parentum, & innocētis ætatis. post Absalō, occidit Amnō eius fratrem. Abimelech autem Gedeonis filius, septuaginta peremit fratres uno ex eis tantū relicto: non sacra lex, non sancta religio, non diuinus cultus à tam nephario scelere deterrere eum potuit. Nec gentilium mitiora exempla. Attræus Thiesti fratri filios tres iugulatos epulados dedit: at ille eum regno spoliauerat, uxorem adulterio corruerat. excitentur Etheocles, & Polyntices œdipi, aut Simulus, & Rhæsus maximi filii. Romulus, & Remus, Iugurtha, cui non sufficit Adherbalem & Hiempsalē fratres, nisi prius excarnificatos occidere. Cor

bys, & Orfue hispani. Cambyfes, q̄ unicū Smer
 dim infontem, & priuatæ uitę hominē, ob som
 nium occidit: tam leuis caufa fratrem, in fratris
 necem accēdere potest. quid Caracalla Antoni
 nus, erga Getam? quid Antipater macedonum
 rēx? quid Phrahates? qui triginta fratres, atq̄
 cum his patrem Herodē etiam, à quo Pacori
 iam mortui loco Rex creatus erat, absq̄ caufa
 iugulauit. Regina Titæ filia Hiperionem fra
 trem in coniugem duxerat, ex quo filios duos
 Solem masculum, & Lunam foeminam susce
 pit: communes fratres Hiperionē inuidia moti
 obtruncant: Solem in Eridanum fluuiū sub
 mergunt: horum mœrore puella extincta est.
 Cleopatra ut nec foemineum genus, à tam nefa
 rio scelere immune esset, Arsinocem sororē, fra
 tremq̄; quintumdecimum agentem annum,
 ut egipti regno tutius potiretur interfecit. Nō
 sufficiet hic liber, si impia exempla fratrum pro
 sequi uoluerō. Vnum cognoui scelerati parricidii
 in fratres bis conscium: alterum anno pre
 terito expatricia familia publice capite multa
 tum: quem tres occidisse Fratres dicebāt, cum
 de duobus satis constaret. nulla Falerni sitis ar
 dentior, quàm ea qua scelerati uiri, germanū
 cruorem exhaurire cūpiunt. Inde tam scelestis
 uis, ut puto, quæ etiam ipsum nomen persape

Infecerit. sed nō sit hic tuus frater ex pluribus, sit bonus, moratus, modestus, rariq; exempli: quid maius ab illo quā ab aliis potes expectare: nam si benivolentiam requiris, amicus non cedit. si necessitudinē, filius præponitur. si pietatem, præcellunt parentes. si officium, sodales. si obsequium, uincunt serui. Horum autē omnium cum mors ferenda sit, fratrum intollerabilior esse non debet. Idq; huius maxime signū certum haberi potest, quod cum in filiorū obitu parentum constantiæ auctores tam quā nō uulgaris fortitudinis meminerit: id neq; in fratribus, nec in parētibus tam quā nullius exempli persecuti sunt. fratrem unice amaui, unice dilexi, an ille te? sic Isaac regi germanorum frater erat Alexius, quem in regni administratione recepit: captum à turcis, ingenti pecunia redemit: is rediens Isaac regno spoliatus: oculos effodit: in perpetuum carcerem trudit. iurare p Deos potes nec fallere, quod amas, non quod amaris Domitianū obseruauit Titus, at quot iniuriis Titū affecit Domitianus, ut etiam existimetur ueneno eum necasse. Quid periculosius præsertim in re ampla, quā filios fratrum curæ committere: uix est possibile & fratres, & filios perfecte diligere: an ita uelis ut fratres dilexisset, ut filiorum sis oblitus quis sit an forsan

mala fortuna potius filiis tuis erepta sit, quàm
 tibi bonus frater: nam superstes, aut non sine
 periculo curator filiis relinqui poterat, aut
 non sine iniuria præteriri, memèto Childeber-
 ti gallorum regis, qui duos pueros Clodomi-
 ri fratris filios, per simulationè à Clotilde ma-
 tre auocatos (quòd non integrum regnū posses-
 surus uidebatur, si regis legitimi hæredes su-
 peressent) interfecit. Cum plurimi deteriora in
 nepotibus admittant, uulgare tamen est patri-
 monium illorum expilare. at sublata est simul
 & periculi, & iniuriæ occasio. Deniq; illud ob-
 seruandum est, naturam ut in hereditate, sic &
 in uirtute inter fratres cūcta partiri. si unus est
 optimus, alter est teterrimus, Si unus splendi-
 dus, alter sordidus. si unus est uigilans, alter est
 ignauus. Si fratrem oderis, cur putas te amari. si
 amas, amor iudicium eripit: uerisimileq; est tā
 singulari probitati tuæ, non minorem impro-
 bitatem in fratre respondere. At non uides oc-
 casio deest: fraterna hereditas aut administra-
 tio obseruabatur: quid obseruabatur? aucupa-
 batur potius. At quòd fieri non potest fiat, ut
 scias illum tui esse amantissimū, tu scis orbis,
 filios reliquerit ille: eos amplexare, fratris loco
 erunt: in educandis maior charitas, in conuer-
 satione maior erit reuerentia. at nec illi, nec tibi
 sint

sint filii: sit etiam unicus frater q̄ mortuus est: si filios suscipias quā meliori loco fratrum erūt: argētum perdideras, aurum reparasti. At uero nec huius potestas ulla sit, citius quā uoles, imo nolens fratrem committabere. quōd reliquum est uitæ, in mœrore consumes. At ille si superfuisset uix lachrymam emisisset: quōd si facturus erat, non te ipso prudentior ille fuit. Si ante illum mori noluisti, cur defles eum ante te mortuum esse. supererunt amici, affines, socii, quot mortales fratres ac parentes relinquūt ut in claustris Deo seruiant. at frater tuus ad Deum accessit & doles, in liberam, & beatā uitam migrasse. Ferenda omnis luctus occasio est quandoquidem & naturę necessitas, & lex preteriti, & rerum humanarum uaria cōditio hoc suadet. neq; cum hominibus acerbior luctus filiorum morte superuenire possit, is quāquam etiam relicta orbitate, sublataq; omni proles alterius spe durior sit: non tamen aut mœrore, aut lachrymis, uel gemitu dignus ē. Utq; paululum altius repetam, uidendum arbitror: an orbi, an eius qui filios habet, beatior uita sit. orbus hoc unum tantum habet, ut ex se progenitum post se non relinquat: id si ad perpetuitatem, stultè speras: è tot millibus miriadum hominum, sobolem tuam inuiolatam permanſu

ram: etiam si mundus ipse finem nullum esset
 habiturus. At uero quòd non solum leges finè
 aliquem mundi posuere, sed philosophorum
 penè quicūq; illustriores omnes, præter Aristo
 telem, haud obscurum est. Nō continuata autè
 usq; in perpetuum serie, quid ad te attinet, ubi
 finiatur. at etiam si semper maneat hæc proles,
 beatus ne ea causa esse potes: cum statuunt peri
 patetici, patris semen nullam esse portionè cor
 poris filii, sed totum ex sanguine matris genera
 ri: Galenus existimet uenas, & neruos, & arte
 rias solum ex patrio semine fieri. cætera quæ re
 parari possunt, ex sanguine materno. Vtrū uis
 fiat, non est aui portio ulla nepos. tam tenuis
 est hæc propagationis utilitas, ut nihil omni
 no dici possit, post paucos annos omnis memo
 ria atauorum aboletur. quis inquam est q ab
 auum suum fermè cognoscat? At contra tam
 paruæ uoluptati quàm ingens mœror opponi
 tur: hinc pericula uite, illinc educationis dispè
 dia, fame metus, erudiendi sollicitudo, adolescē
 tum luxuria, temeritas iuuenum, contumacia,
 inobedientia, tandem etiam contemptus. hæc q;
 in diuitibus hominibus, & foelicibus tempori
 bus, tam uulgaria sunt, ut fermè pro necessariis
 habeantur incommodis. At nūc qualis spes in
 sobole quæ oneri tantum ac timori esse potest,

populi opprimuntur, Reges pugnant: Turcarum princeps, omnia uastat: ferro, flamma: omnium malorum foeda seruitus, mitissimum est compegit nos in angulum: urget undique, latera: mali non probantur, ciues boni affliguntur. An non putas satis in tanta temporum calamitate, tibi ipsi soli timere, nisi & necessariorum tuorum miseriam superaddas. Quid enim tristius hac nostra etate est? cum Cicero amissae Tulliolae filiae (quae illi charissima erat) doloris maximam consolationis partem, in dominatione Caesaris collocauerit: in qua tamen mitissimus princeps, rerum domina urbs, ipse Cicero carus Caesari, amicis potentissimis uiris, amplissimas facultates cum dignitate retinebat. confer modo tum tempora temporibus: securitatem illam, cum praesenti periculo: opes, dignitatem, amicos Cicero nis, cum tuis: lenitatem Caesaris, cum principum nostrorum iracundia: illudque expende, an optandi sint illi, cum non doleat Cicero amississe. Est orbi uita plena quietis, plena uoluptatis, plena libertatis, plena securitatis: non habet de quorum aut iniuria, aut seruitute, aut ludibrio, aut cruciatu, aut periculo timeat. in pace liber est, in bello non anxius. crede mihi nulla sollicitudo maior est quam parentum in communi calamitate: seu pestis urgeat. et non habes quo

fugias: seu bellum ingruat, & abscedere nō potes: aut si fame laboratur, decstq; quo alas. has cogita infœlicitates, & uide, an hæc cum orbitatis solitudine sint comparādæ. Sed iam ad principale propositum reuertamur. cur orbum factum te doles? cum nec propter ipsum filium dolendum sit, qui aut nihil patitur, aut etiam iocundus est: neq; propter te, cuius optima cōditio est filiis caruisse: ex periculo in securitatē, ex tædio in quietem, ex seruitute in libertatem euasisti, & cōquereris. Nudius tertius quasdam mulierculas pauperes complorantes, filiorūq; mortem optantes audiebam: an non longe melius esset illis caruisse? quàm eò miseræ peruenisse, ut filiorum mors optāda sit? uota pauperum expende, illorum negligentiam circa salutem inspice, intelliges me nō mentiri. At diues es, nemo nisi in repub. diues esse potest: & si regem habeas, tyrannus successor expectat. una nox hanc facit permutationem. Sed & in repudum unū non times aduersitates innumerabiles cauere oportet. Nulla uoluptas eē potest in filiis si opibus careas: paupes esse nos certo scire licet, diuitem nec quāquam: ubi non est securitas? quomodo foelix esse potes? sed mortaliū conditio hæc una est certissima, ut cum pluribus principibus bellorum incommodis subia-

ceas: sub uno omnia patent illius arbitrio. me-
 mineris Heliogabalum Imperatorem, tota ita-
 lia pueros conquifisse, patrimos, & matrimos,
 decoros: quorum uiuentium extra inspiceret.
 Quid in Harpagum admiserit Aftyages, quid
 etiam in Persas Cambyfes, præcipue in Præxa-
 spem. Ea est conditio hominum, ut malim plu-
 res esse principes cum bellorum metu, quàm
 unum cuius libidini pateât omnia. Fuit unus
 Octavius Augustus bonus, quòd satis in bel-
 lis ciuilibus sanguinis Romani hausisset: at quòd
 belluæ continua serie successerunt, Tyberius,
 Caligula, Nero, Claudius: quid his monstris
 fuit portetofius. At fac ut etiam scelicibus, tem-
 poribus uitas: non enim ex ipsis ullum capio
 argumentum, quod quâquâ hæc mihi ipsi p-
 pter casus difficiles conscripserim, non solum
 propter uanam quorundam de mortaliû suc-
 cessibus opinionem, uerû ad inopinatos euen-
 tus facilius ferendos, qui quâquâ præsentibus
 deteriores nō erunt, nihilominus ex repentino
 aduentu, homines turbare solent. ad posteros
 tamen etiam me nolente liber hic puenire pos-
 set: atque iccirco culpari, quòd uni temporis ca-
 lamitati, aut nimis tribuerim, aut de permuta-
 tione desperauerim. quapropter temporû que
 relâ suo loco relinquamus: atque ut decet ratio

consolandi ex propria iterum contemplatione
 queratur. mortuus est filius, quid facilius recu-
 perari potest: nulla ætas nisi extrema, nullus
 morbus nisi omnino lætifer filiorum genera-
 tioni obstat. quæ si ingruant, iam non de filiis
 magis, quàm de nobis cõuenit esse sollicitos. nãq̃
 ex ætatibus Aristoteles finem procreationi se-
 xagesimum, aut septuagesimum annum decre-
 uit. Quamuis nobis non obscurum sit, etiam
 ultra octuagesimum quosdam generasse. quã-
 quã & forma & uiribus senium redolentibus.
 ex morbis autem tabes, & podagra, gene-
 rationem admittant: Hi uero tantum prohibe-
 ri creduntur, quibus aut genitalia defuerint,
 aut eorum uirtus ex toto uitiata est, uel qbus
 post aures uenæ ambæ sunt præcise: tales enim
 Hipocrates steriles esse putat. Quã bene igitur
 natura prouidit, ut ubi hominum uota maxi-
 me urgent, illic reparandi facillima occasio eēt.
 nihil enim facilius aut celerius homini euenire
 potest. quã quòd pater fiat diuitias. namq̃, aut
 gloriã, uel amicitias paranti, longo tempore
 opus est: at filius momẽto gignitur. Qualis igitur
 iactura esse potest filii amissio, quæ & si ma-
 xima esset, quòd tam celeriter, & ab omnibus
 instaurari queat, nihil facienda est. At diuitias
 reparare, pauperi iam facto arduum est, quo-

nam ut dici solet.

Dantur opes nullis, nunc nisi diuitibus.

At uero uidebis hominem iam orbem, ac senem, quem cum resalutas danaum factum audis. si membrum præcidatur non renascitur, si pater moritur, recuperari nequit, si frater, si fama perit, rara est restitutio: cum filiorum tam facilis, tam breuis, tam absolutus sit iacturæ instaurandæ modus: uel hoc solatio unico digna luctu non est, etiam si certus admodum sis eum filium tuum esse. Sed quàm diu boni hoc nobis incompertum est, ut nihil incertius: fide agitur, fide opus est: sola uxorum pudicitia requirenda est, nil amplius sperari potest securitatis. At si cõtingat cuiquam alienum deflere (etenim suppositi hi sunt qui maxime pereunt, quòd per nimias illecebras animisq; uehementer timore percussis concepti sint) uide qualè risum his qui cantilenam probe nouerint excitabit. sed iam tuus quòd fieri tamen minime potest, non minus quàm matri certus sit: quid nam iam tuum est an animus? nec quèquã tam impium inueni qui dicat: an corpus? quomodo cum ex semine gignatur: est autem semen terræ concoctionis alimentum superfluum, ut sterlus primæ, & urina secundæ. si igitur quæ ex superfluis nascuntur, nostra sunt, erunt etiã

uermēs, & pediculi nostri, atq; amore digni. co-
 gita quantum seminis olim in cassum effude-
 ris, uel cum meretricibus concumbēdo, uel etiā
 cum uxore iam prægante: totum id perit, &
 non doles: quid amplius est in filio, quā quod
 semel effuderis. tam uilem igitur & cōtemptā
 rem, tam grandi luctu dignam censes: cuius to-
 tiēs omnino nullam rationem habueris. Si ad
 initia mentem reuoluas, uidebis te non aliud
 lugere quā modicum infoelix excrementum:
 quod si per somnum, ut quandoq; solet, effu-
 sum esset, non omnino curasses: at modo quid
 interest, qualiter id pereat. quamobrem minus
 miror Aristippum philosophum, filium om-
 nino sic contempsisse, ut eū à se abiiceret. alios
 uero etiam exposuisse, ut Laius Oepidū, Pria-
 mus Paridē. Nec uero putes eum morem à re-
 gibus solum obseruatum, cum passim à priua-
 tis etiam exponerentur. quā legem Romulus
 infoelicis ortus memor, foelici successu, in Italia
 primus abrogauit. inde Xenobia esse cœperūt,
 quæ in urbe non feris amplius expositos ale-
 rēt. At illud uideo dicturus es: similis iam mi-
 hi factus est, plurimum laboris, plurimum pe-
 cunię, impendi, consuetudine, atq; educatione
 carus euaserat: hæ quærelę matribus iam ma-
 gis conueniunt. quod si iacturam pecunię de-

fles, non de filio, sed de auaritia solandus es. At
 uero illud non te fallat, morum similitudinem
 non à parentibus, sed à consuetudine contrahi
 remoue filios à parentibus, nullius non magis
 mores quàm illorum imitabuntur. quo fit ut
 in omnibus pauperum filii, parentibus assimi-
 lentur, magis quam diuitem: quoniam paupe-
 rum idem sunt parentes, & magistri uitæ: di-
 uitum nequaquam. Quid igitur prohibet ne
 alienum instituas filium, is enim probe per si-
 milis est moribus, qui à te fingitur. unde *Quin-*
tilianus refert *Alexandrum* magnum, *Leoni-*
dæ pedagogi uitia quædam, adulta etiam æta-
 te retinuisse: quâquã etiã in uitiis refugiamus
 imitationem, in uirtutibus æmulari conemur.
 Quare si ob uirtutem is qui iam mortuus est
 diligebatur, propositum certe laudamus: sed
 hic *Dii* boni, quã grata, quàm iocunda, quã fœ-
 lix uita, in quã ex hoc obscuro turbine migra-
 uit filius tuus: quàm suaue iter ei cõtigit: neq;
 enim fas puto, ea animorum gaudia, eos appa-
 ratus, quibus hoc relicto carcere fruuntur ex-
 plicare. Nam cum eo pondere præssus etiã ani-
 mus, mortalia quæq;, pariter atq; immortalia
 compræhendat, uix est facile dictu, quantum
 liber uirium, & dignitatis, illustriq; gloriæ ha-
 beat. ad quã percipiendam, non docendam di-

to, quāuis in hac uita altissimus habeatur (cū
 nō ipse, sed homo totus sit, qui intelligat, qui p-
 pe quòd corpori nimis arcto hic uinculo alli-
 gatus, ne tam celebri expectatione defugiat) in-
 sufficiens omnino est. Quāobrem tā lente, tamq̃
 operose, ex hac catasta animum dissolui quid
 mirum? sic enim matris ex utero, magno cum
 labore, magnisq; difficultatibus, à tenebris in
 lucem hanc prodit. his tamē tanto mortis atro-
 citate minoribus, quāto interuallū gloriæ, qua
 nūc filius tuus gaudet, & uitę prioris splēdidio-
 ris iuuenilis interuallū, & tenebrose illius ī alio
 matris foetus moræ, antecellit. Natura enim il-
 lud comparatum est, ut ad omnia ingentia fœ-
 licitatum incrementa, pariter arduis laboribus
 ascendamus: eadem certe te ratio consolabitur,
 si infantulus tibi filius, ac etiam unicus ereptus
 sit (mitto enim quòd qualis futurus esset nesci-
 as) metam attigit propter quā natus erat. nōne
 alia est nascendi causa quā mors: ut corpus pro-
 pter animam, & somnus ob uigiliam, sic uita p-
 pter mortem data est nobis. Quam ob rem ut
 omnibus necessarius est somnus: his quidem
 exiguus, illis plurimus, sic & animis uita. quod
 si gignendi alium facultas negatur: alienū aut
 ex affinis quēquam instrue: eruditiōe enim
 docti, disciplina honesti, non tales à parentibus

pueri fiunt, quæcūq; sic institueris, Deo cuius
 omnes uerè filii sumus, & patriæ quæ omniū
 communis est mater, & tibi gratiā reddis; neq;
 enim de obsequio alienos filiis cedere compe-
 ries. Nō est præsentis instituti ut doceā optan-
 dam filiorum mortem, sed ferendā nec ut alie-
 nus, filio præponatur. sed ut filius sic institua-
 tur, ut alienis sit præponendus. Sed si succes-
 sus respicimus: generosi magistri, inclytos ha-
 buere discipulos: patres illustres, filios ignauos
 utq; cæteros omnes taceam, Socrates sordescit
 in filiis, in Platone discipulo fertur ad astra. nō
 ne Aristotelem Theophrastus, plusquā Nicho-
 machus extollit. non solum digniores discipu-
 los, sed & gratiores filiis: uetusta exempla ostē-
 dunt. Quis enim unquā filius tantum patri
 fauit, ut & gloriam ipsam quemadmodum So-
 crati Plato concedere uelit. Quin quòd etiam
 uiri spectatę uirtutis, non tantū filiis caruerunt
 sed suscipere, neglexerunt. ut Thales, Zeno, Pla-
 to, Apelles, Diogenes, Galenus, Virgilius, Ho-
 merus: quibusdam uero ut nolentibus contige-
 runt, uelut Alexandro: & Iulio Cæsari. nec mi-
 rum illud enim spectabant. *αὐτῶν ἴσως ἀντιπαρ-
 ῶν* & certe magno cōsilio actum esse puto,
 ut à generosissimis quibusq; parentibus, filii se-
 cordes procreentur. id quòd tam bene & ele-

ganter à Spartiano testatū uideo, ut uerba eius subiungere statuerim, ea sunt, Reputanti mihi Diocletiane Auguste, neminem propè magnorum uirorum optimum & utilem filium reliquisse, satis claret deniq; aut sine liberis uiri interierunt, aut tales habuerunt pleriq;, ut melius fuerit, de rebus humanis sine posteritate discedere ut ordiamur à Romulo, hic nihil liberorum reliquit, nihil Numa Pōpilius quòd utile possēt esse reipublicæ: quid Camillus? nū sui similes liberos habuit? quid Scipio? qd Cato? quid qui magni fuerūt? iam uero quid de Homero, Demosthene, Virgilio, Crispo, & Terentio, Plauto, cæterisq; aliis loquar: quid de Cæsare, quid de Tullio, cui soli melius erat liberos nō habere: quid de Augusto, qui nec adoptiuū bonum filium habuit, cum illi eligēdi potestas fuisset ex omnibus. falsus etiam est Traianus in suo municipe, ac nepote deligēdo. Sed ut omit tamus adoptiuos, ne nobis Antonini, Pius, & Marcus, numina Reipublicæ occurrant, ueniamus ad genitos. quid Marco foelicius fuisset: si commodum non reliquisset hæredem: quid Seuero septimio? Si Bassianum non genuisset. quid aliud his docemur exemplis quàm nō filios à parentibus animū contraxisse, sed à Deo: essent enī illis similes neq; nostros eos esse sed

communis parentis Dei: eosq; ob uirtutem, nō
 uirtutem ob illos amplectēdam. id si homines
 in rebus humanis consulerent, diuis similes ef-
 ficerentur: & beatam uitam degerent. At uero
 natura admodum in eorum amore conata est
 nos fallere, scilicet ut unicuiq; tantum curæ in-
 gereret, ut nostri, ut reipublicæ, ut Dei, quodq;
 plus etiā est his omnibus, illorum ipsorum
 obliuisceremur. Tam stultè enim liberos diligi-
 mus, ut odisse potius uideamur. illos non ad
 uirtutem, sed ad iniuriam: nō ad eruditionem,
 sed ad luxum: non ad Dei cultum, sed ad facul-
 tatem explendæ libidinis: non ad uitæ diutur-
 nitatem, sed ad lenocinia uoluptatum educa-
 mus. Hæc tamen immodici amoris, stultæq; so-
 licitudinis iniuriam natura non dedit: sed quæ
 admodum & famem & sitim, & somnum ho-
 mini ac brutis quantum satis erat largita est:
 animi tamē uitio solus homo absq; fame edit,
 bibit absq; siti, omniq; genere uoluptatis præ-
 ter necessitatem utitur: sic & filios tam stultè
 amat, ut eos & ad uicia illabi permittat, & ipse
 illorum causa nepharia multa perpetret: illosq;
 suum opus existimet. At non illius opus sunt,
 sed Dei is animum, uitam, formam, robur, mo-
 res, ingenium, augmentumq; largitur: nihil
 horum pater. Desine igitur, quòd alienum est,

tam quàm tuum deplorare: qui fecit, ille ad se
 uocauit, illius imperio parere iustum, ac sanctū
 est. At uero si depræhendere cupis an hic amor
 naturalis sit, an ut pleriq; aliæ libidines animi
 uitium: cætera animantia spectata, quorum nul-
 lum ab educatione filios proprios agnoscit, ne-
 dum ut amat: Si naturæ hoc munus foret, po-
 tius filiis erga parentes, quàm parentibus erga
 filios, & ob pietatem, & ob necessitatē cōgrue-
 bat: unde nec huius exēpli oblita in brutis na-
 tura uidetur: cum inter aues ciconiæ, inter qua-
 drupedes glires fessos parētes alant. at post pri-
 mam educationem, parentum erga filios, nullū
 amoris uestigium extat. uincit igitur φιλοτοργία
 quædā in hominibus, aut potius φιλοπονία, ipso
 hominis uicio nimium sibi blandiente. At bru-
 torum miserta est, cum idem sit finis educandi
 & amoris in quo tempore parentes insomnes,
 laboriosi, macilenti, solliciti, miseri, omnibus ap-
 parent. Hanc curam non necessariam, & propa-
 gandæ speciei causā euentitā, perpetuo sibi
 uelut aculeos quosdam īfigere stultissimū est.
 tum tamen nec rationale hoc sit desiderium, nec
 naturale, iure merito forsitan quis admirabitur:
 cur tam commune sit? Sed non dubia est respō-
 sio, si mihi prius ostendas, cur tot homines aua-
 ri, cur tot iracundi, cur tot libidinosi euadant:

At hæc cum non sint naturalia uicia, nec rationalia, etiam sunt inhonestæ: solus amor filiorum post educationem, quâquam nec à natura, nec à ratione proficiscatur: honestus tamè est. Sed nimis forsitan tanquã ad sapientes, Stoicis quidem & ueris rationibus, non tamen secus atq; spinosis, in tam copiosa materia, & firma causa usus sum. quam obrem ad pinguiorem orationem, & argumenta simpliciora ueniamus: ne forte tam ostèdere, quã fallere uelle uideamur. Igitur si mortuus est filius, primo illud cogitandum est an male audiret, & improbus esset: nã & fræquenter bonus parenti filius, malus uideatur: cum domestica labe, magis nobis ignota sit, quã externa. tum etiam quòd amor iudicium eripit. Inde fabula nata est, olim cuculum uocasse philomenæ filios, cum suis in canendi certamen: tum asinum iudicem deierasse, se ne scire quis suauius cæcinerit: filios tamen cuculli, non tam obscure, nec tam inæqualiter. sic nō solum unicuiq; sui gnati. sed & mali à malis p bantur. In quo euentu, quòd & pleriq; etiã mediocris integritatis uiri faciunt. non tantū non lugere, sed & lætari etiam cōuenit, Maiora enī etiam his faciebat antiquitas: nam & Manlius Torquatus aduersus Decium Syllanum filium repetundarum reum, tam crudelem sententiã

dixit, ut laqueo se suspenderit. & M. Scaurus filium inter multos fugientem ab hostibus, solius timoris reum, reuerti ad hostes ac mori cōpulsit. sic Lacedæna mulier redeūtem filium è bello, ob ignauiam occidit: cuius etiam est hoc insigne distichon.

Hunc timidum mater damatrimon ipsa peremit
Nec dignum matre, nec lacedæmonium.

Tales inquam ac deteriores erepti, nec amplius parentibus, nec affinibus negotium faciunt: & seipfos à maiore dedecore subtrahunt: quin etiam quidam illorum, parentibus mortem moliti, sunt uelut Blandenius Zeusides, qui matrē interfecit & Euander qui Nicostratē matris suasu, patrem occidit, quæ causa ei fuit ut in Italia exularet. Tullii quoque Annalis filius, percussores ut patrimonium lucri faceret, ad latitantem patrem in proscriptionibus trium uirorum perduxit. talia monstra, ut rara sunt, sic plerūque multorum malorum superstites filii causæ fiūt. Sic Priamo Paris incolumis, domum & patriam euertit. hunc tamen morientem defleuisset ille: tam stulta sunt hominum studia, ut optent quòd nesciant: & Deos consilio uincere sperent. arguantque si quid eis nescientibus bonum procurauerint. Quòd si prudens, bonus, pius, ingētisque animi sit: nec desit spes

spes propagandæ prolis, & senii tui sustentâdi
 per eû: quid nepotibus relictis in pietate deest:
 & si nulli sint, iam temerarium erat sperare, quod
 noluit, aut non potuit. Verum ut libet de ipso
 statu, maius est periculum eorum quæ morte
 deteriora sunt, quàm spes eorum quæ his, quæ
 iâ habet sunt meliora. At morte deteriora sunt
 miseria, turpitudine, flagitium, perpetuus crucia-
 tus, contemptus: mors enim cõmunis est, hæc
 paucos habent: & illos etiam mors non effugit.
 An uero melius est etiam si hæc omnia euadat,
 in infortuniorum sedem peruenisse: quod quæ-
 tu met nolis tam caro optare. Nã quæ necesse est
 qui senectutem uult ingredi, multa tristitia ex-
 periri: nemo enim mortaliû est fermè, qui diu
 uiuat, quem non aliquândo contingat, ante mor-
 tem, ipsam odisse uitã. adde quod & poeta dixit.
 Ædepol, senectus si nihil quicquã aliud uitii
 Apportet secum, cû aduenerit, unû id est satis:
 Quod diu uiuêdo, multa, quæ nõ uult uidet.

Equidem si te illius desiderium tenet, cum
 senex iam sis, proximum tempus est, ut illû co-
 miteris: si iuuenis, larga est spes alios procrean-
 di. Deniq; luctus scæminea res, non uirilis est:
 unde Licii recte eos qui lugere uellent, scæmi-
 neam uestem inducere cogebant: ut animo ue-
 stis ipsa congrueret. neque uero absque ratione, Si-

quidem inter omnes, ut uiliores sunt, luctum improbiorem præferunt: atq; in primis mulieres, dein pueri: ex his etiam barbari, atq; horum maxime effœminat: at cōtra uiri, eo quò generosiores, & luctum comprimunt, & dolorem à se repellūt. Est uero huic inferno luctui Deo, ut etiam aliis plerisq; mos, ut ad eos maxime accedat, qui eum colant: at si ab initio eū repuleris, neq; animum permittas sauciari, quàm longe semper à te aberit. At uero uide quàm decorum, quàm ue honestum, hominē grandeuū ac qui ab aliis merito consulitur, lugubri in uēste plorare, quæri, sordide eiulare, lamentari, O generosam indolem. Sed nec minus animo detur perturbari, hæc enim prætermittere, intus autem dolore, & tristitia se conficere, nec sapiētis uiri est, neq; constantis, sed eius qui aliorum potius repræhensionem uereatur, quàm quò deceat sequi nouerit. Melius igitur est illud se cum sæpius comminisci *σπίνας ὄνας ἀνθρώπος*. qđ melius dici potuit, adeo hominum uita futilis est, atq; exilis: ut cum tenuissimum omniū sit umbra, fallacissimum & inconstans somnium, somnium umbræ quid erit. at hoc tamen hominis nō solum uita, sed etiam gloria est. alius uero οἴκτες φύλλων γενίε, τοὶ ἕδε καὶ ἀνδρῶν. nam quid absimile, illa cadunt sole, imbribus, uento, ure

dine: & si nihil inueniant. per se defluunt, sic ho-
 mirum uita. crede mihi iniuriam nullam acce-
 pisti, mors enim Deorum donum est, Dii ne-
 minem iniuria afficiunt, si ex magistratu suffra-
 giis uictus decessisses, equo animo etiam tolle-
 radum duceres, quauis repulsa, suspitione nec
 inuidiae, nec contumeliae, nec doli carere possit:
 At nunc, cum nihil horum metuas, Deorum suf-
 fragia damnare audebis. illud ne in mentem ue-
 nit, quod Leontius Neapoleos Episcopus in ui-
 ta Ioannis patriarche Alexandrini accidisse nar-
 rat. Cum enim quidam obtulisset illi auri libras
 septem, ut Deum rogaret pro nauis onusta, & fi-
 lio, qui ei unicus erat, intra mensem cum prius
 filius excessisset e uita, nauis etiam fluctibus ob-
 ruta est. inde patre eius ob utraq; iacturam tri-
 stissima cogitante, Patriarchae precibus paucis
 post diebus impetratum est: ut nocte quadam
 pater Patriarcham uidere se existimaret dicen-
 tem, Oraisti ut filius tuus saluus esset: ecce nunc
 saluus est: cum obierit, qui si uixisset sceleratus
 in uita, post mortem uero danatus, seruari non
 poterat. Soli diui sciunt quid nobis expediat,
 quando nos qui uiamus ipsi, ne dum quid optan-
 dum sit ignoremus. Solari igitur non tantum,
 sed etiam laetari nos conuenit, in propinquorum
 omnium morte: quorum si memoriam obser-

uare cupimus (quãquã etiam non illorum con-
 uersationem fræquenter, ne somnus ipse dene-
 get) posteris & tibi nominis, & consuetudinis
 referunt: generosa sepulchra, imagines, statuae
 carmina, orationes, dedicationes, institutiones
 perpetuorum, tum sacrificiorum, tum gimna-
 siorum. His solatiis nonne honestius, ac iucun-
 dius, te ipsum confirmare? illius uero gloriam
 mortalibus commendare? quã plãctu & eiu-
 latibus semet conficere? quòd ut modo his qui
 uirtute præditi sunt, & animorum agnoscunt
 beatitudinem, superfluũ est: ita infirmioribus
 moribus, tale solatii genus, haud turpẽ est: Nã-
 q; & Augustus imaginem nepotis puerafcẽtis
 quẽ unice diligebat, in cubiculo reposuit: quo-
 tienscũq; ingrederetur eam exosculans. Alexan-
 der Ephestioni sacra constituit, & delubra.
 Fabius Quintilianus, non luctu, sed oratione,
 quã filii laudes cõtineret, quasi honestatẽ eius
 laudis a dolore mutuaretur, obitum filii cele-
 brauit. Quid Ioãnes Mesue, qui libri titulũ pa-
 tris nomine mentitus est, Sic Zoar, sic Aristote-
 les filio libros inscribens, sic Cicero, sic Plato in
 disputationem fratres, & amicos uocantes om-
 nes: non lugubri ueste, & mœrore, sed æternis
 monumentis charissimos quosq; è suis poste-
 ritati consecrauerunt. Jam uero rationibus sa-

tis ostensum puto mortem filiorum, neq; lugē
 dam, neq; malam esse. nūc uero quā fortiter eā
 tulerint antiqui exemplis prosequamur. Octa
 uianus Augustus, cū duos nepotes Caium &
 Lucium, intra mēses uiginti amisset, adeo nō
 commotus est, ut nec à senatu abstinuerit. De/
 mosthenes uero, cum una ei tantum filia esset:
 septimo à mortis eius die, procedens in publi/
 cum, cādida ueste indutus, & coronatus, bouē
 immolauit: fortius etiam se gessit. Dion, de re
 publica enim inter amicos consulēs, intellecto
 quòd filius qui ei unicus erat, è tecto se præci/
 pitasset: mandans familiaribus sepulturam, ne/
 gotium quòd cceperat perfecit. Per simile Anti/
 goni factum. cum enim in acie filius cecidisset,
 nil aliud luctus signam dedit: sed dixit, O Alcio
 neu, serius quàm debuisti, mortuus es: tā con/
 stanter in hostes irruens: nec monita mea, nec
 tui salutem plurimi faciens. Periclis uero con/
 stantia, nulli inferior esse potest: cum. n. Paralū,
 & Xantippum, quos solos habebat filios, indo/
 lis egregiē adolefcētes, intra dies octo amisset:
 candida ueste coronatus, Atheniensibus cōcio/
 nabatur: consiliaq; ac belli rationes, magna ani/
 mi tranquillitate à funesta domo profectus ex/
 plicabat. nec tamen absq; imitatione, si quidem
 Anaxagoras eius præceptor, cum aliquādo di

sputanti, mors filii renunciaretur: paululū substitit, dein testatus se scire mortalem genuisse, in disputatione perseueravit. Paulus Emilius cum aduersus Perseū bellū suscepturus Deos rogasset, ut si pro rebus, gerendis calamitas ulla ciuitati Romanæ imineret, eam potius in domum suam conuerterent; id seu uoto, seu casu acciderit, quòd rogauerat impetrauit. Cū enī ex quatuor liberis duos p̄ adoptionem, in Scipionum familiam transfulisset: reliquos quos apud se retinuerat intra paucos dies amisit. nec minus leniter tulit casum, hunc quàm fortiter optauerat. Tynnichus etiam Spartanus, clarissimū exempli monumentum reliquit posteris: cum enim Trasybulus eius filius, in bello cōtra Argiuos occubuisse: hoc epigrammate animi constantiam declarauit.

Flere decet timidos, oculis te nate sepulchro
Condo meum siccis, ac Lacedæmonium.

Hic nāq; ut mihi uir Papinianū illd̄ ē imitatus,
Vigor inde aīs & mortis honestæ,

Dulce sacrū; gaudēt natorū in fata parentes.

At uero non tantum constantiam tenuisse, sed etiam illorum necem procurasse, magnam utilitatem præstitit. sic Brutus filiis duobus publico supplicio mulctatis, quem terrorē putas incussisse ciuibus? quàm desperationem ho

stibus? quā admirationem uicinis urbibus? ut
 nō solum tam fortis animi exemplum magnā
 ad augendum imperium, sed ad retinendum
 etiam libertatem quadringentorum annorum
 occasionem dederit: non tātum timore poenae,
 sed etiam emulatiōe uirtutis. Quid aliud per
 Abraami in Isaac exemplum ostenditur, quā
 eos qui ita filios diligunt, ut sciant non in his
 spem suam collocandam, sed Deum ita colen-
 dum, ut liberorum obliuiscamur, magna mer-
 cede dignos esse. quare & multarum gentium
 ex tam diligenti obsequio pater factus est. nec
 unquam semen eius delebitur. Maius hoc est
 quā Bruti fortitudinis argumētum, ille for-
 tes occidendo, alios reliquit filios, hic innoxium
 iugulando, sine sobole fiebat. ille aliena manu
 hostes iubebat occidi, hic manibus suis obsequi-
 um occisurus erat. Sed ad exempla tollerantiae
 reuertamur, in quibus (proh pudor) tedit foer-
 minas referre tam fortes, ut uinci non queant
 à uiris. inter quas Tomyris massagetarum regi-
 na, occiso astu bellico eius filio, morte Ciri ho-
 stis, non luctu, inferias illi parentauit: uniuersū
 eius etiā caeso exercitu. Tum Cornelia Grac-
 chorum mater, ex numerosa prole, duos tantū
 egregios iuuenes. C. & T. crudeliter per sedi-
 tiones occisos, tam leniter tulit; ut illorum tan-

tum & patris Africani facta commemorās, nul-
 lum doloris, ne luctus dicam signum ediderit.
 Argileō uero Braside Regis Lacedæmonii ma-
 ter, cum filium in acie mortuum accepisset, nō
 luctu & gemitu omnia compleuit, sed interro-
 gauit an honeste, & è dignitate uiri occubuis-
 set. Girtyas autem Lacena & ipsa mulier, cū ne-
 pos tam quàm mortuus domum delatus à fa-
 miliaribus defleretur: dixit, Nō silebitis inquā
 declarauit ex quo sit sanguine genitus: puer
 enim in puerorum pugna conciderat: cum ta-
 men reuixisset, & iuuenis factus in bello ceci-
 disset, eadem, respondit nuntianti, Nonne cum
 ad hostes ierit, occidere aut occidi debuittat mi-
 hi gratius est eum audire mortuum ex digni-
 tate mea, maiorumq; & urbis, quā si ignauus
 superuixisset. Alia etiā, casum filii cum in acie
 periisset, fortius tulit: dicēs, Timidi lugeantur,
 ego uero te filii, sine lachrymis ac læta sepelio.
 Alia itidem Lacena mulier, cum qnq; filios ad
 bellū emisisset, in suburbiis spartæ stabat, euen-
 tum pugnae expectans: cum uero quēdam ue-
 nientem interrogasset, quid ageretur, ille existi-
 mans de filiis interrogari, omnes obiisse respō-
 dit: tunc indignata mulier, Non hoc inquit ro-
 go malum mancipium, sed quid agat patria: cū
 ille uicisse diceret, tunc mulier, libens igitur in-

quit filiorum mortem accipio. Tales tuere ui-
 rorum, ac mulierū ingentes animi spiritus quō-
 dam, gloria, non minus quàm cōsilio clari. Sed
 iam ut puto de his nimis superq̄; atq; quòd
 ad mortem attinet dilucide explicatum est; ut
 non sit necessarium hic neq; amicos, aut affi-
 nes, uel coniuges referre: illorum enim copia
 multa, instabilis conditio, necessitas parua. At
 dicant à fletu. Neq; tamen si non essent moro-
 sœ ulli uxor deest, cum una alteri succedat: At
 quantumcunq; sint uxores optimæ, amici fide-
 les, affines cari, indignum puto si frater, si filius,
 si pater luctu non sunt prosequēdi, hos in hac
 causa in iudicium uocare. Sed illud po-
 tius tecum statue, mortem stultis
 malorum finem esse, sapien-
 tibus autem bonorum
 initium: utq; Me-
 nander ait.

ὄν γὰρ φίλῳ θεός, ἀποθνίσκει νέος.

HIERONYMI CARDANI.C

MEDICI MEDIOLANENSIS DE

Consolatione, Liber Tertius.



DIVTIVS certe quàm destina/
ueram, atq; copiosius, genus id
consolationis quòd ad luctum
pertinet, ac mortem sum prose/
cutus. Nò solum quòd tristitiæ
causa quæ mortè seu propria, seu amicorū con/
trahitur, exilis est ac perexigua: sed etiã quòd
homines hac ætate opes, ac potentiam tantum
diligunt; ut non nisi cum imminet, mortis re/
cordentur. Longa quisq; spatia uitę sibi decer/
nens: mortemq; non huius mūdi sed cuiusdã
alterius quasi rem contemnunt. At uero diuiti
as, ac magistratus præsentia, ac certa uixq; un/
quã desitura obseruant. neq; hoc contenti, eos
homines qui non ut ipsi tam ingenti rabie ho/
rum uexantur; illorum inuidentes quieti, dam/
nant, oderunt, persequuntur. Namq; id illorum
studium est, ut sapientissimi etiam, ac beati iu/
dicentur: quorum neutrum iudicio illorū qui
hæc quasi spræuerint, confirmari potest: cum
autem & hoc illi indignè ferre non uideantur,
odisse incipiunt; ac demum persequi. ut si me

diocritatem illam libenter ferant, pulsi tamen ab ea, & in necessitatem aliquam, seu calamitatem eiectionis: dolere, ac conqueri apud homines incipiant: ut illorum institutum, qui tam ardentibus opibus inhiant, horum confessione: tam quam prudentissimum laudetur. Verum cum non eadem tempora, rerumque uices semper manent: non de illa calamitate quae apud hos potentiae cupidos grauissima habetur, sed illa quae uere est: longiorem sermonem habuimus. Nam quod & in mortis tempora, hanc suam beatitudinem producere nitantur, uelut Poeta in uiri felicitis sepulchro, mortuum inducit dicentem.

Sparge mero cineres, & odoro perlue nardo:
 Perpetuum mihi uer, agit illachrimabilis urna,
 Nulla mihi ueteris, perierunt gaudia uitae,
 Hospes, & adde rosis, balsama puniccis,
 Et commutauit saecula, non obii.
 Foelix, seu memini, siue nihil memini.

O lepidum caput: quam belle nihil dixit. namque felicitatem hanc, etiam post obitum extendere aude re? Res est omnino ridicula & ab ipsis met huius rei authoribus derelicta: Nempe quod uideamus post mortem breuissimo tempore, hanc gloriam diuitiarum euanescere: multitudine non solum mortalium in eam laudem succrescente in dies, sed quod etiam res ipsa gloria in

digna sit. uixq; è tot millibus millium hominum, qui sua ætate diuitiis inclaruerunt, pauci admodum hi ad nostram memoriam, puenere Gillias, Crœsus, Midas, Pythius, Meander, Erichthonius, Syfiphus, Tantalus: ex Romanorum libertis Amphion, Menecrates, Heron, Demetrius, Pallas, Calistus, Narcifus. ex ingenuis. C. Cæcilius, Sylla, Lucullus, L. Liuius, Drusus. M. Crassus: tū uero Salomonis, & Ptholomeorū regum ingentes celebrantur opes. Sed Gilliam liberalitas posteris commendauit. Crœsum, & Crassum infortunia Syllam, & Lucullū uictoria. Midam, Silenus liberos abusus, & Romana luxuria. Salomonem, sapientia. Tantalum, scelera. Meandrum, & Pythium in Persarū reges munificentia. C. Cæcilium, testamentum. Ptholomeos, regia maiestas. Erichthonium, & Syfiphum, Poetica licentia. L. Drusum, ingens magnificentia, nullum penè, solæ diuitiæ præclarum reddiderunt. quāquàm etiam tales fuerint, ut facilius omni uirtutis genere, quā tātis opibus gloria possit comparari. cui uero sint usui ab interitu opes, nemo uel fingere potest. At etsi gloriam tibi & usum à morte aliis præstarent, nil ad te illud potius cogitare expedit, in eas concedendum oras, in quas solum animi uitia, & uirtutes perferre possis. tum uero cum

motieris, non diuitiarum, sed scelerum: nō po-
 tentiæ, sed spei memoriam succurrere. Inde quā
 illo temporis momento (nam anteriores præ-
 tereo cruciatus) omnia sursum deorsumque uer-
 tuntur: tam quā tibi dissoluta orbis machi-
 na, in chaos antiquum redeat, ac uelut in nauis
 stantibus ripæ procedere uidentur, cum tamē
 ille quiescant, tu autem mouearis: Sic in mor-
 tis hora, subuerti uniuersus mundus uidetur,
 inde perpetuo hac luce cariturus excedis: nunquā
 has tuas diuitias aut affines, aut cariora hæc
 usque in æternū inuisurus. cur igitur, si sensum
 à morte ullum credis, non uirtuti operam das?
 Si nullum, saltem quieti, ac tranquillitati: cum
 non amplius aliam uitam experiri, nec in hanc
 quā nunc habes redire contingat. sed suauis
 tamen est hic dolor, ut qui scabiem scalpunt,
 iuuat ditescere, eminere, laudari, alios præme-
 re: quando hic est uniuersus humanæ fœlicita-
 tis terminus. O stultam cogitationem? sed fa-
 tescat, maneat, modo ne alios meliora sentiētes,
 uelis arguere. si tamē liceret interrogarem: cur
 puerorum more, iuuat domum protinus rui-
 turam ædificare? cur tot labores in cassum per-
 dere? cur non tantum corpus sed animum fru-
 stra uexare? Sed iam alio me rapit oratio, nāque
 multa sunt in quæ præter quasi intentum, di-

uertere cogor: atq; illud primo ostēdere debeo
 quare liber hic præcedens longior euaserit: Si
 mulq; unā omnium calamitatum (si quæ for-
 te intolerabiles uidebuntur) medela docenda
 est. Itaq; elaborandum diligenter fuit, ut istud
 ostenderemus, mortem in malis ponēdam nō
 esse: quo fit ut cum ad eam cuiuslibet aditus pa-
 reat, nemo miser nisi uolens dici possit. **Quam-**
obrem cum aliquando Tyberius captiuorū cu-
 stodias inuiferet, cuidam roganti, ut quā pri-
 mum mori liceret respondit, Nondū tecum re-
 dii in gratiam. uera uox, si ad rem aspicias, tyrā-
 nica si ad mentem. Hęc igitur altera causa fuit,
 ut paulo prolixior in præcedenti libro fuerim,
 Omnium enim malorū tria sunt auxilia, mors,
 sapientia, & fortuna: morte equidem utuntur
 hi quibus his aliis duobus uti nō licet: cum in
 eas molestias inciderint, quæ grauissimæ uide-
 antur. Quapropter mihi Damidas Spartanus
 prudenter cuidam respondisse uidetur dicen-
 ti, en Lacedæmonii periclitantur, O Damida,
 nisi in gratiam cum Philippo redeant: hostes
 enim regis Lacedæmonii fuerant, & tunc Rex
 Peloponeffum occupauerat. cui Damidas, O
 semi uir inquit, qd nam graue pati possumus
 mortem contemnentes. Sic puer Lacon cum ca-
 ptus ab Antigono, ac uenditus, in officiis inge-

nis hæro gratissime inferuisset: postquã ani-
 maduertit indigna opera iniungi, atq; inter cæ-
 tera ut matulam dferret; negauit se facturum.
 assurgente domino, ac comminante, puer tegu-
 las conscendens dixit, Videbis quem emeris, &
 continuo se præcipitauit. Sic Crassus cum ca-
 ptus uereret ne ludibrio esset, uirga qua equũ
 regebat oculum barbari effodit: quo ira perci-
 to ab eo occisus est. Frequẽs erat exemplũ anti-
 quo tempore: mortẽ, mortem aut longam, aut
 ignominiosam effugere. Inde qui sub Tyberio,
 Caligula, Nerone, mortem sibi consciuerint. Si
 uelim numerare, prorsus ascribẽs nomina, quã
 longissimam historiam conficiam: si numerũ
 tantum, nemo credet. Nuper etiã dum hæc nos
 scriberemus, quidam pigmentarius Venetiis,
 damnatus sceleris, colloquio cum fratre impe-
 trato, cum ille osculum dedisset, uenenũ in cor-
 tice auelane latens ex ore accepit. indeq; horis
 paucis extinctus, à cruciatu & dedecore se sub-
 traxit. Legimus & quosdam morborum tẽdio
 uitam uoluntarie finisse: è quorũ numero Põ-
 ponius ille Atticus uir clarissimus, ani dolori-
 bus nimium uexatus, cum quieuisset, inedia
 tamen ne amplius in eam poenã incideret mo-
 ri perseuerauit. Eodem mortis genere ob poda-
 gram Corlius Rufus obire uoluit. At uero lex

nostra quāquā sibi ipsi manus iſerre ꝓhibet:&
 merito, Nā nihil homini Christiano intolera-
 bile eſſe debet, ꝓfertim excluſo uehementi cru-
 ciatu, quo in caſu lex quāquā haud ꝓbet,
 indulget tamen. Itaq; nō obſcurum eſt iam cur
 ꝓæcedentem librum tantum extenderimus:
 Nunc illud iam ꝓponendam uidetur, nihil
 eſſe miſeriarum ꝓæter cruciatū (& nec iꝓſum
 iure excipio) quòd hominem contriſtare meri-
 to poſſit. omneſq; hoieſ, ſi recte ſapiant, æqua-
 liter fermè, & beatos, & inſœlices eſſe, ut illud
 cum Socrate ſentiam, ſi omneſ homineſ ſuaſ
 curas, ac mala in cumulum unum equiſ diui-
 ſuri ꝓortionibuſ cōferrent: ꝓſtquā eiuſ ma-
 gnitudinem, ac cætereſ mortaleſ, unumquēq;
 ſua onera ꝓortantem inſpexiſſent, ſinguloſ ꝓo-
 tiuſ denuo quòd attulerit libētiuſ reſumptu-
 roſ, quā eam diuiſionem ꝓbaturuſ. quod
 enim unuſquiſq; ꝓꝓria mala nouit, alioruſ
 neſciant, id in cauſa eſt, ut ſe inter alioſ miſerri-
 muſ ꝓutet. In qua ꝓeroranda parte. duo illa
 mihi obiici poſſe ſentio, alterum quòd hic li-
 ber eruditioſ tantum ꝓficere poſſit: atq; iam
 ſine eo qui literiſ operam dederunt, cum Tu-
 llii ꝓæcipue libroſ de bonoruſ finiſ, ac Tu-
 ſculanaſ queſtioneſ, Paradoxa, de Senectute, a
 Plutarchi opuſcula, & Petrarchę remediuſ, tum
 Boetii,

Boetii, atque aliorum etiam reuoluerint, non mi-
 nimam calamitatum medicinam inuenturos.
 At hi qui literarum cognitione carent, tota pe-
 nē plebs, tum rustici, & ex patritiis pars maxi-
 ma: quo nam auxilio suarum ærumnarū dam-
 na pensabunt. Inde aliud periculi genus, ne
 aut nimium audax, aut superfluus eē uidear,
 in qua accusatione forsitan repræhendi time-
 rem, aut defensionem molirer, nisi quòd ab ini-
 tio testatum est, cæteros quidē libros aliis, hūc
 unum mihi composuisse docuissē. Qui quā-
 quā nec Ciceronis eloquentiam, nec Plutarchi
 grauitatem, aut Petrarchæ acumen, uel Boetii
 philosophiam æquare possit: nihil minus no-
 bis pergratus est: ea ratione quā ab initio in fi-
 liis memorauimus, suam unicuique operā, cha-
 ram eē. At erramus? quis nescit? ferēdus error
 certe est, qui & innoxius aliis est, & à natura p-
 pria p-
 pficiscitur. Alterum quòd etiam mihi ex-
 cusandum uidetur, ut ne quis nobis illud di-
 cat, facile cum ualemus ipsi, dolorem toleran-
 dum aliis suademus: idque est uerbis inanibus
 aliis persuadere, quòd opera ipsa non præstes:
 atque oratione sola, uirtutes uelle mētiri. In quo
 genere quāquam Cicero, atque Plutarchus, tum
 Petrarca, & Aristoteles, me excusent: quòd ex
 his alii minime, quā tantum extulerint forti-

tudinem in aduersis ostenderint, ut Cicero: ne
 q̄ enim in infortuniis homo ullus abiectior fu
 it, alii ex his aduersam fortunam non sint ex
 perti: præter leue exilium, prædiuites enim &
 regibus grati, atq̄ merito fuerunt. Tum quòd
 non necesse sit omnes bonos, etiam si ex animo
 sentiant, in re ipsa periculum sui facere. hoc enī
 fortunę est, illud uirtutis. Neq̄ etiam admodū
 necessarium, ut qui rectè dicunt, rectè etiam ui
 uant. ueritas. n. etiā ab improbis persæpe defen
 ditur. At ego quāquā his omnibus dissimula
 re possem, ac subterfugere, tamen cum eius la
 boris causam diceremus esse, ut nobis satisfac
 ret, uix cuiquā persuaderi debet, hominem in
 summa foelicitate existentem, ad consolationis
 rationes animum intendere posse, quod si fa
 ciat, uix est uerisimile, ut quicquā magnum as
 sequatur. Quò fit ut etiam hic liber, si ad alios
 perueniat, ampliorem fidem sit consecuturus,
 & quāquā cuicunq̄ ut diximus, uirtutem lau
 dare liceat, non tamē proprium est ingenui ui
 ri, uitam à uerbis absimilem habere. Similē autē
 uitam, aut in fortitudine, aut in patientia, quo
 nam pacto habere possumus, aut cæteris osten
 dere mortalibus, si omnia secunda fuerint. Igi
 tur quòd diuino factum puto esse aliquo con
 silio, ut scilicet genitus, natus, educatusq̄; i ma

ximis calamitatibus, non meliore fortuna, ad hanc usque diem peruenerim, si silentio transigerem, magnam partem ac necessariam huius propositi prætermittere arbitrarer. Namque ut qui res difficiles aliis persuadent, si ipsi met eas aggre-
diantur, & fidem & auctoritatē dictis adi-
ciunt. sic enim Aristidem, Phocionem, Socratē,
Platonem, Catonē, tum Prophetas, & Sanctos
uiros, atque omnium bonorum auctore & con-
ditorem Christum Iesum, fecisse uideo: Nō ta-
men hæc subiungere hic uolui, ut illos uirtu-
te, sed ut instituto uitæ imitari uiderer: atque
quanto ob humilitatem natalium, cæteris sum
inferior, tanto facilius modo uelint, hæc nostrā
in aduersis patientiam superare sperent. Igitur
ut ab initio exordiar in pestilentia conceptus,
matrem nondum natus, ut puto, mearum cala-
mitatum participem profugā habui. Inde octa-
uo calendas octobris, anni primi supra millesi-
mum ac quingentesimum in hanc lucem semi-
mortuus editus, cū spes omnes reliquisset, ui-
ni balneo recreatus sum: tū iam trimestris du-
os fratres & unam sororem perdidit: crassante
in ciuitate nostra pestilentia. Inde cum etiam
Ticinio sæuiret, repete eo morbo nutritiū a-
si: tunc audaci, & pio factō Isidori Restæ nobi-
lis uiri, & amici paterni, manibus eius inter fu-

nera exceptus, morbū eum paucis post diebus
 contraxi: inde idropem, epatisq; fluxum, Deo/
 rum an ira, an misericordia seruatū sim, non
 fat scio. Nullum interim morborum genus in/
 tentatum reliqui annum usq; ad octauū. Inde
 loco serui patrem usq; ad decimum nonum an/
 num perpetuo comitabar; Dii boni florē hunc
 uniuersum ætatis, & sine uoluptate, & sine stu/
 diis transégi. Cum uero neq; patrē cogere pos/
 sem, nec fraudare honestum ducerem, nec præ/
 cibus impetrare ualerem; religioni tandē amo/
 re studiorum tradere me uolui. Inde metuētis
 matris orbitatem, præcibus exoratus pater, in
 Gimnasiū dimisit. ibi temporis amissi memo/
 riam reuoluens, simulq; uitæ hominum breui/
 tatem considerans, studiis assiduus me tradidi:
 Illud etiam timens, ne si pater malū de me nun/
 tium accepisset denuo reuocaret. Ibi difficulta/
 te latinæ linguæ, ut qui nunquā uel semel scho/
 las inuisssem, non parum laborabam, inter ta/
 men tot mala pater iam ante cōcesserat, ut geo/
 metriæ, & dialecticæ operā darem, in quo (quā/
 quā præter paucas admonitiōes, librosq;, ac
 licentiam, nullum aliud auxilium præbuerit)
 eas tamen ego subcisiuis temporibus studens
 interim foeliciter sum assecutus. Inde desideriu
 augente absentia, mortuus est, sæuiente peste:

cum primum me diligere cœpisset . tunc bella illa internicina in patria initium habuerūt, ipse inops, ac auxilio omni destitutus, diligentia, & solitudine matris incredibili sustentabar, cūq; patrimonium quòd minimum erat, non sufficeret, spe, & alieno consilio fraudatus, & studentium Rector creatus, nihil prius cum haberē totum tamen illud nihil consumpsi . Nec ullū mihi erat reliquum auxilium, nisi latrunculorum ludus, tandem ex infortunio in infortunium euadēs, in oppidum Succense me contuli. Quo in loco totus medicinæ intentus, familiā sustentabam industria, egrè tamē, ut cui præter id quòd nihil, esset, etiam alienū æs non paruum prius, bello illo magrātu, cumulatū erat. Inde matris literis in patriam reuocatus, integri nihil inueni, nemo amicus, consanguinei aduersum me litigabant : mediocrum collegium suspitione oborta, quòd tam malè à patre tractatus spurius essem, repellebat. At nec (quòd penè exciderat) medicorum patauinorum cōsensu mitior erga me fuerat : cum lauream quæ mihi iure debebatur, bis iniustè denegauerit. uixq; pertinacia prætoris, ultimo concessit. Facinus certe detestandum, si non mea fortuna potius, quàm illorum scelus, eos ad hāc iniuriam impulisset. Desperans igitur, talis quodam ge

nere correptus sum, quòd medici putant incurabile: seu igitur uoto celebri, seu quia ad maiora seruarex, nec ullo medicinæ tentato auxilio, post septem mēses præter omnem spem euasi. Interim uero cogita, quæ curæ, quæ tristitia animum meum uexare debuissent. Hinc paupertas maxima, illinc mater flens orbitatem, & suam miseram senectutem, tum memoria contumaciæ affinium, iniuriæ ut rebar medicorum, minæ potentis, desperatio salutis, nullus amicus: quiescens indigebam necessariis, laborare non poteram: mendicare turpissimum erat. In tot difficultatibus constitutus, in quas & fortuna mea, & patris acerbitas, & affinium odium, & temporum miseria me compegerant: Consilio hoc adiutus sum, ut effugerem malorum saltē presentiam, atq; in oppidū reuersus sum: ubi amici complures me solabantur, & iuuabāt: ibi diuino auxilio repēte una hora, morbo in uniuersum liber euasi. Tunc uero cœpi aduersus ualitudinis detrimenta opponere abstinentiā, fortunæ patientiam, paupertati parsimoniam, litibus sollicitudinem, repulsis studium literarū. Semper autem, & ab initio, & usq; nūc, primus hic liber (qui quāquā tunc à me non esset editus, mente tamen conceptus) solabatur. Inde in patriam denuo reuersus, sospitem matrem

inueni. Cumq; multa mala, atq; aliis intolerabilia, usq; ad hanc diem passus sim: omnia contemnens, omnia peruici. Primum quidem auxilio Reuerendi Episcopi Philippi Archinti, uirtutum & disciplinarum quantum quisq; alius pro uiribus, optimi patroni defensus & adiutus nō parum fui: demum motu illustrissimi principis Alphonsi Auali Istonii marchionis, cuius nomini librum de æternitatis archanis dedicauimus: pro illius inclyta humanitate ac liberalitate, cum rem tractaret Franciscus Sfondratus Senator illustris, non sine optimi cuiusq; collegæ uoluptate, in eum ordinē ascriptus sum: cum iam quadagesimum annū ferme attigissem. ea fuit uitæ nostræ ratio: pluribus, & assiduis, ac ingētibus pulsata incommodis, cui quantum hoc profuerit studium, satis intelligis. maiora uero fortunæ ornamenta, eo animo spreui, quo iniurias illatas etiam tollerabam. Quamobrem & ad præsentem uitam, & ad animi tranquillitatem, nihil melius à Deo patientia sum consecutus. Nam & illa inter tot rerum angustias, mira mihi acciderunt ut ab his iuuarer quos nullo beneficio affeceram. Nā & Frānciscus Bonafides medicus, uir tum optimis, tum simplicissimus: tam fortiter patauicorum medicorum iniuria resistebat: quāuis

& ipse ciuis ut non à fratre. frater diligētius de-
 fendi potuerit, & in Mediolanensi causa, Fran-
 ciscus Cruceius iurecōsultus itegerrimus ma-
 gno nobis fuit auxilio; tum etiam ut diligen-
 tem operam, aliquot in disciplinis impēderim;
 scribens, docens, atq; inueniens. At uero cū cæ-
 tera sereno animo melius fiant: hoc unū tamen
 tranquillitatis animi præmium est inuentio;
 quæ qualis fuerit, his non obscurum est, qui li-
 brum arithmeticæ, nondum æditum, cuius ti-
 tulus ē (opus perfectū,) legere uelint; aut geo-
 metriam nostram, aut librum de medicorum
 discordia, in quorum primo capitula sexagin-
 ta Algebrę uniuersalia inuenimus: ætate omni
 quæ ante nos fuit, in septem explicatione con-
 sumpta, cum hæc solum ob difficultatem inue-
 niri posse speraret, tum uero & numerorū ui-
 res supra quingētas adiecimus. In secundo nō
 pauciores propositiōes Euclide fabricauimus,
 fatemur inquam nos ab illo utilitate longo an-
 tecedi interuallo, de inuentorum tamen subti-
 litate, alii iudicabūt. In tertio Græcorum, Ara-
 bum, & Latinorum medicorum sententias cō-
 trarias, quot quot ad manus peruenire potue-
 rūt, disputauimus, distinximus, cōciliauimus.
 Maximam uero congeriem librorum, ut uel le-
 gere pigeat ad hanc usq; ætatē scripsimus, om-

nium tamen emédationem absoluere despero.
 Quorum etiam aliqui quamuis minimi, & si
 in lucem minus castigati prodierint, uitium in
 nobis quidem fuit. aliorū uero culpa: qui per
 inuidiam nos coegerūt, immaturos foetus ede-
 re. Nāq; nec cum his satis cōmode, nec sine his
 ullo modo uiuere poteram. illorum igitur ca-
 lumnie quicquid erratum est imputetur. Itaq;
 hac pertinacia, si uel publice p̄fiteri uoluissent
 (quòd omnes nouerint admissum aliquando
 renuisse) uel opibus comparandis operam da-
 re: poteram patientia, uel aliorum fortunā, aut
 nature munera æquasse. Sed iā de nobis nimis
 non ad laudem, sed ad exemplum dicta sint. q̄
 enim laus esse potest natalium humilitas. Pater
 Patria affines infensi, ualetudo infirma, fortu-
 na aduersa, paupertas mēdicitati proxima. Iam
 me stupidum prorsus credet, q̄ putet hęc glo-
 rianti causa dicta, quæ ad summum dedecus
 penè attingunt: ubi à nostro recedentes institu-
 to, uulgarem sententiam aliorū prosequamur.
 Verum hęc tria uno exēplo docere uoluimus:
 primum neminem miserum esse, absq; sceleris
 conscientia. alterum fortitudinem animi, non
 solum ad eius trāquillitatem, uerum etiam ad
 fortunæ mutationem plurimū conducere. ulti-
 mum lectionem huius libri, non tantum mise-

sis, ut æquo animo aduersa ferant, sed btis opti-
 nione sua, ad continentiam utilem fore. At ue-
 ro quòd reliquū obiici posse docuimus, si cui
 omnino librum hūc, aut persimilem legere nō
 liceat: hic ne in miseriis suis omni solatio erit
 destitutus: certe non: nobis enim quòd propè
 diuinum est ascriberemus, neq; enim aliud ne-
 cessarium est ut non sis miser, quàm quòd mi-
 serum te non credas: hoc uero uel uno uerbo
 docere & discere cuiuscūq; fas est. Vt uero ratio-
 nem huius percipiat, quæ soli sapienti utilis ad
 persuadendum, si quis forsitan sit pertinax, li-
 ber hic uel similis, necessarius est. Igit̃ neq; ru-
 stici, neq; plebs, modo uelint credere, his ratio-
 nibus indigent. Quādoquidem & idem omni-
 no etiam lex nostra suadet. At qui alios docere
 uoluerint, hoc ex libro fructum aliquem perci-
 pere poterunt. mihi tamen ipsi hæc scripseram
 quòd nullum docentem haberem. assuetus au-
 tem demonstrationibus, fidem quidem: habe-
 bam eorum quæ post mortem fiunt. At uero
 quòd hic neq; scelicitas ulla esset, neq; miseria,
 ex solis antiquorum rationibus confirmari per-
 fecte nō potui. Operæ prætium igitur esse du-
 xi, ut non tantum illorum dicta in unum, sed
 si quid ego addere possem, in ordinem digere-
 re. itaq; ut à paupertatis molestiis initium facia-

mus: quandoquidem grauissimum uisum sit aliquibus eius onus: uelut Menander ait *ἰουδαῖοι πτωχίας, βαρύτερον ἐστὶ φέρειον*. At contra diuitiæ in honore semper fuerunt: nec unquam illud mutatum est, Poetæ.

In prætio prætiū nunc est: dat census honores,
Census amicitias, pauper ubiq; iacet.

Visum est ut nō tumultuariè (quòd res ipsa plurima contineret capita.) sed ordine quàm possem diligenti, rem aggrederer. Itaq; primū uidetur illud ostendendum, pauperem nō minus foelicem esse, quàm diuitem: secundū paupertatem, gloriæ non obesse: tertium nihil grauius fore pauperi, quàm ut ditescere uelit: quartum diuitias post mortem neq; prodesse illi q mortuus sit, neq; posteris suis. Itaq; ut ab initio rem hanc exordiar in repub. paupere, foelicitas maior est, quàm in opulenta: minora odia, minor ambitio, minores seditiones: Vnde & Liuius illud refert, quòd cum Romana res publicis pluribus ab initio seditionibus laborauerit, nūquàm tamen ultra uerba in tam feroci populo uentum est: ut sine iudicio quisquàm condemnaretur. Primus Tiberius Graccus iam opulenta urbe, absq; legibus occisus est: anno urbis sex ceteresimo ac uigesimo primo. tum ante Romanos à legatis Carthaginensium hostium, beni-

gnitatis inter se maximam laudem meruisse,
 Plinius testis est. At contra cum diuitiis pole-
 rent, nihil tutum, nihil tranquillum fuit: popu-
 lus absq; concordia, senatus absq; auctoritate,
 cedes absq; discrimine, magistratus sine lege, fa-
 cinorosi absq; timore, plebs sine reuerentia, iu-
 uentus absq; pudore, senes sine grauitate: Pro-
 fana omnia, & colluue gentium, ac seruorum
 mixta: inde malorum omnium seges, ut nō ob-
 scurum sit opum publicarum pedissequas esse
 infœlicitates: paupertatis tranquillitatem. Simi-
 liter & Lacedæmonii cum essent penè mendici
 uitam & gloriosam, & beatam ducebant: cuius
 illud maximum testimonium referre libet. cū
 Persarum rex legatos Lacedæmonem misisset,
 tumultu populi ferocis uiolati sunt: atq; occi-
 si: erat autem Sparte templum Talthybbii p̄co-
 nis Agamēnonis, legatis tutelare, id sacrificanti-
 bus, cum exta læta non redderet, in religionem
 uersum: pertæfos Lacedæmonas impulit, ut p̄
 legatis totidem, duo scilicet, se deuouerent: spō-
 te aut Sperthius Aneristi, & Bulis Nicolai, filii
 se obtulerunt: inde Sparta discedētes, cum ante
 quā ad Xersem Darii filiū qui legatos olim
 miserat Susas peruenissent: Hydarnem præse-
 ctum Regis conueniunt, qui eos benigne fo-
 uens hospitio, postquā & causam itineris &

animi illorum magnitudinē cognouisset; hor-
 tatus, ut regis amicitia potius, quam mortem
 uellent eligere: Xersem facturum ut Græciē to-
 ti imperarent: se unum ex eius Satrapis esse, cō-
 ditionem eius inspicerent: hanc beneuolentiā
 si suo consilio acquiescerent, haud aspernatu-
 ros. tunc illi, Ne tu scis. Hydarnes quā iocun-
 da sit libertatis uoluptas, ut qui eius, semp re-
 gi, seruiens, expers fueris: quā si licuisset de-
 gustare, uniuerso eam Persarū regno, iure me-
 rito sis propositurus. Itaq; tantam foelicitatem,
 in re pub. hi uel ex paupertate, uel certe cū pau-
 pertate habuerunt: & erat tamen uita Laconū
 ut alias diximus difficilis, ob institutionem ar-
 tis bellicæ: paupertatis tamen beneficio (ut qui
 nullos omnino haberent nummos) tam grata
 conditio libertatis omnibus erat, ut etiā regno
 præponeretur. & si ex republica discedere lice-
 at, priuatum statū inquiramus: in quo etiā ma-
 ior est uoluptas, maior quies, quā in regno:
 neq; enim rex amicos certos habet, nec in uene-
 reis illecebris dulcedinem aliquam capere po-
 test, cum nesciat se amari: est autem eius uolu-
 ptatis prima pars, atq; maxima, ut ames, & ame-
 ris: at quomodo amari te senties, si nolentes me-
 tus potentia, uolentes præmiorum spes in su-
 spitionem adducit, quod si cōtingat plures ex-

ga principes esse ingratos, nimirum. namq; eos
amicos non dicimus, qui uel metu, aut spe, aut
præmiis assiduis cōtinentur. Ea enim in ratio
ne Alexandrum pater Philippus coarguit, cū
putaret largitionibus sibi beneuolentiam com
parare. Clara sit illustris quantumuis principū
uita, cum amore, & amicitia careat, foelix nullo
modo esse potest: percuntibus his muneribus,
quæ beatitudini hominū sunt proximiora. At
uideamus si & in his pares essent pauperibus,
quæ nam iocundior sit regum uita ne, an pau
perum: Hic quidem diluculo surgēs postquā
se lauit, operi suo se accommodat: inde pridia
na abstinētia, & labore matutino incitatus, mē
sæ accumbit, atq; ibi uxor secum filioliq;: uel si
his careat, laboris sotius, suaue obsoniū simul
fame blandiente unā edit: quicquid apponitur
lautum est, ac præciosum: miscet prandiū gra
tos sermones, spesq; iocundas cōmemorat: non
tumultus, non facietas, non indignatio, non su
spitio uagatur: inde discedit, paulumq; mora
tus ad pristinum laborem redit. excipit fameli
cum denuo cœna: ibi ioci lenes, ac sales non in
iocundi, pro accumbentium qualitate: hinc ad
lectum itur: interim syderū lux suadet, ut ocu
los attolat: recordetur aliquando futurum, ut
in eas sedes beatissimas concedat: si quid tetrū

admiserit, piget: atq; in posterum emendaturū
 mente pollicetur. lassus diurno labore, ut pri-
 mum lecto se dedit, profundissimum somnū
 capit. Inde salubris status, uitaq; plerūq; diutur-
 na, nec præteriti poenitentia, nec futuri tempo-
 ris timor hominem exagitat. excipiūt interim
 festi dies sessum: tūc uagatur quolibet: si quid
 pulchrum est in ciuitate spectat, suburbia, uiri-
 daria, prata cum sociis inuisit: ludit innocue:
 nihil omnino triste meditatur: nec uitæ perte-
 sus, ad mortemq; paratus. quòd si & huic lite-
 rarum cognitio accedat, aliquantulo etiam di-
 ci foelicioꝝ potest. At uero Principis uita huic
 ex toto aduersatur: surgit quāprimū à discus-
 sa crapula: ne dum tamē ore syncero: sed hinc
 spiritus graue quiddam sibi ipsi olens, hinc sa-
 por tristis obuersatur. interim atrium satelliti-
 bus, sicariis, rabulis, adulatoribus competitori-
 busq; repletur. serui undiq; discurrunt, clama-
 tur, iurgiisq; inter eos agitur: quòd nihil inte-
 grum sit. Hinc ostiarii importunos arcēt, alio-
 quā breui admissuros pollicentur: Atqui si
 princeps illustris moribus sit, rationes suas se-
 creto recognoscit: atq; ubi tantarum rerū me-
 moria subit, piget uitæ, Alia enim nec posse per-
 ficere sperat, in aliis sollicitus admodū est: quor-
 undam fidem secum criminatur: quorūdam

ignauiam accusat: aliorum etiam queritur auaritia. ubi quæ necessaria sunt percurrit, solènia sacra audit: demum rogantibus operâ præstat: ibi quanto melior, tanto atrocius discruciat: remittit tandem ad consilium: hucusq; ut uides si nihil etiam triste sit, nihil tamen cum uoluptate agitur. succedit prandium ibi lanthes, sypsi, apparatus, fercula, uina, omnia, rege digna: At conuiuæ aut nulli, aut seorsum positi: hilari quidem fronte, uerum altissimis curis obruti: ac ut Poeta dicit.

In quorum facie miser e, magneq; sedebat.
Pallor amicitia.

Sed ad regem ipsum redeamus, qui tã opulenti dapibus, & splendido apparatu etiã hereterna ciborum uarietate faciatus, nec gustum habet, nec præsentia cum uoluptate aspicit. Sed potius nauseabundus præ pudore quodã accumbit, inde huc modo illuc aspiciens, tandem aliquid seligit quòd minus displiceat. Sed fac per oportuno desiderio ciborum teneatur, atq; hic unus è multis sit illi dies cãdidus: num tunc uoluptatem saltẽ capit, certe non, imo nunquã minus: namq; dubia omnia habet cibum, potum, sypnos, mappas, sedilia, ne ueneno infecta sint. qualis certe iocunditas hæc timentis: an non præstat coenare Figulinis, Betam, & Sarpedam?

dam? quàm auratis, & murinis, claudium bole-
 ros, & statyram rhintacem, quid hac suspitione
 tristius, in qua periculum uix abesse potest, ti-
 mor nunquã: id illud Dionysius exemplo quã
 pulchro edocuit. Adulabatur ei Democles, ut
 tyrannis parafiti solent: eum solum beatum ac
 fœlicem dictitans, inter mortales: cum sæpius
 negaret id Dionysius: tandem ut experimentũ
 suæ fœlicitatis faceret persuasit: inde uestis lau-
 rata Democli induitur: sedes regia, mensa præ-
 tiosa, omnia deniq; Syracusanam opulentiam,
 Tyrannicumq; luxum redolentia exhibentur.
 inter tam ingentes apparatus, gladius peracur-
 tus, ac fulgens super accumbentis caput tenuis-
 simo filo suspēditur. tum Democles ut hoc per-
 cepit, non attollere oculos, non manus porrige-
 re, nō quicquàm poenitus degustare audebat;
 intentus in tanti discrimen periculi, anxie Ty-
 rannum rogabat, ut eum à lautis illis epulis li-
 beraret. hac cœna tam illustri, Democles probè
 edoctus est, ut uitam regum amplius nō opta-
 ret. tandem ut ad ordinē regię uitæ reuertar, è
 mensa tolluntur omnia: scurræq; mimi, ac mu-
 sici prodeunt: hi hunc, uel illum, ut quisq; opti-
 mus est facetiis asperis irrident: in alios probra
 in alios maledicta iaciunt. his risus excitatur, il-
 li impuris motibus obscœnam exercent corpe

ris formam, illi inter lancium, & uasorū tumul-
 tus tibia canunt: in his omnibus ut quisq; dete-
 rius agit, eo magis probatur. interim regis ani-
 mus molestiis plurimis agitat, uultu dissimu-
 lante: ut autem multa, & maxima, ac etiam tri-
 stia ex literis præfectorum recognouit: in consi-
 liū pergit: curis præssus ibi multa recitantur,
 quæ nec auditu iocunda, nec factu bona sunt:
 iniusta mala, pleraq; etiam periculosa: his prin-
 cipis animus distringitur: ibi offensæ graues, p-
 ditiones, ingratitudines, suspitiones, errores, sce-
 leraq; tum ministrorum, tum aliorum princi-
 pum damnat: cōcutitur interim animus, accē-
 ditur, flagrat, hinc discedendi uenatio, aut obe-
 quitatio, aut spectaculum equorū placet: ubiq;
 autem tumultus est: illinc redeuntes cogitatio-
 nes multæ, plurimaq; colloquia ad cœnā usq;
 pertrahunt. eadem à cœna mala, quæ in pran-
 diō tandem itur cubitū. tūc plurima ante som-
 nium obuerfantur. tot hominum cædes, etiam
 quàmuis ferme necessariæ, nō tamen iustæ: in-
 fidia, metus, odia, iniuriæ, bella, strages, dire-
 ptiones & urbium incendia: memoria mortis,
 idq; præcipue, aut non esse, aut tam diu discru-
 mīari oportere: demum ab his in hæc reuertit.
 nihil tutum, nihil Syncerū inuenit (omnia ut
 uidet. sic confusa) somnū optat: Sed & hic dif-

facilis illis est pugnāte cœnat: adueniens autem nec altus, nec quietus, formidolosās imagines plerumq; affert. dormitur in aureis stragulis, alta pluma, sed subtili, atq; interrupto somno. Quānā igitur hęc est uita, nisi ærūnis & mentis æstibus plena, atq; ut Antigonis Demetrio filio, Liberius quān deceret erga subditos se gerente, dixit: ignoras ò fili, regnum nil aliud esse quān seruitutem gloriosam. sic timoleon omnium ducum græcorum, quot quot in historiis leguntur, scelicissimus, aiebat: principes multorum ministros, ac seruos esse. tyrannorū autē conditio, quanto his etiam deterior: incestus, rapinæ, innoxiorum cedes, uenena, minæ, uiolentia, cruciatus, sacrilegia, omnia animo reuoluuntur. undiq; metus, & suspicio habitat: tot habent quos timeant, quot habent à quibus timeantur. quān bene eis congruit laberianus uersus, in cæsarem dictatorem iactatus. Neesse est ut multos timeat, quē multi timēt.

Quis custodes ipsos custodiet? timef uxor, filii, concubinæ, pocillator, tonsor: miseria nec inimicissimis, nisi pessimis uiris, optanda. sed in ut uideo de scelicitate plurima quidem, sed cōfuse diximus: denuo igitur unumquodq; genus diligentius est inquirendum: atq; in primis, uita hęc, in paupere longior, incolumior,

hæc robustior est, quàm in diuite: nec quæquã tã
 huic causæ infensum puto, q̄ hoc negare aude-
 at. ter mihi homines centesimum annum præ-
 tergressos uidere contigit, omnes pene mendic-
 tos: horum unus faber lignarius, alter pigmen-
 tarius, tertius rusticus erat. quomodo longa ui-
 ta, cum ocio, curis, luxu, ac crapula esse potest,
 horum uix uel unum opulenti effugiunt, At
 in corporis salubritate, quàm dispar etiam ra-
 tio: hic abstinens, exercensq̄ se, at ille uariis epu-
 lis, libidine inexplebilis, quies aut præposterus
 labor: noctes peruigiles: somnus diurnus: inde
 calculi, idropes, tabes, podagræ tam fræquêtes
 diuitibus cui pauperi hæc contingunt? color
 etiam faciei id ostendit, plerûq̄ splēdidior pau-
 peribus subit proles, nec in hac diuites fortuna-
 tiores: orbi pleriq̄ enim sunt, aut tenui cum so-
 bole: pauperi nunquã deest, imo ad onus usq̄,
 nec huius etiam causa occulta est: constat pro-
 les semine, hoc & spiritum uiuacem, & substan-
 tiam densam postulat: utrûq̄ labor præstat. in
 principibus uiris si modica inter parêtes ad ra-
 tionem desit differētia, multa quidem soboles
 pcreatur, sed inualida: si plurima intersit, nul-
 la at in pauperibus si conueniant, multa proles
 gignitur, si non, pauca: robusta tamen semper.
 ob id licurgi optimum institutum, ut Lacænæ

mulieres etiam dum foetum gestarent exerce-
 rentur. succedit huic libertas. hui quam prin-
 cipibus parua hæc est, ut nullis minor. primo
 multis rebus eos interesse non licet: paupi om-
 nibus. illis autem quibus licet, quantis indiget
 apparatus, ut diu omnia ante sunt præmedi-
 tanda: seruatorum ignauia, contumacia, errori-
 busq; seruire cogit: æstate inter custodias pul-
 uere completur, hyeme eques frigus nec fert,
 nec uitare potest. At ille æstate per semitas um-
 brosas exercetur, hyemè frigus labore pellit. at
 nec d̄ uoluptate cedit. Diues aliquot uiridaria
 magna tuetur sollicitudine, pauper omnia inspi-
 cit: eoq; huic iocundior aspectus, ut rarior, &
 uarietate elegantior. nec putes me aliter sentire
 quam dicam: hac enim ratione persuasus, om-
 nia potius optaui, quam hortos in suburbiis,
 quod aliena ad uoluptatem satisfacerent longe
 melius: cum plura sint, & nouitate delectet: in
 his uero utilitatis ratio non exigitur, cum nul-
 la res minore reddat scœnore. è uictus postmo-
 dum delectatio: hanc pauperi comparat labor,
 natura robusta, corpus mūdum: diuiti ars om-
 nis popinaria. an uero tu uelis artē naturæ præ-
 ponere: iudicio tuo permitto. accedit quod na-
 turam in paupere etiam ars aliqua etsi nō tam
 exquisita iuuat: at artibus coqui diuitis natura

reluctatur illud etiam spectare licet, quòd pauperibus uilia, pretiosa etiam sunt apud diuites, ut lactuce, cardui, asparagi, ponia, fūgi, caules, raponeoli, raphani, at contra perdices, lepores, pauones, uilia sunt diuitibus: pretiosa pauperibus: quid igitur interest inter hos & illos, cum permutatio sit in rebus non differentia, meminit Cicero (cum apud lentulum cœnasset) betę suauitate ita deceptum, ut *διαγγοίρα* eum corripuerit somni, cum cibus parratio pauperi qualis dici consuevit.

Cespes tyrior mellior ostro,
Solet impuidos ducere somnos:
At diuitibus ex aduerso,
Aurea rumpunt tecta quietem:
Vigilesq; trahit purpura noctes.

Ex hoc in animi curas transitur: hic solum quærit pauper arte sua quo uiuat. Diuitis anceps et multifida sollicitudo seruare, tueri, distribuere: rationes cum dispensatoribus habere, pauper se tantum obseruat: diues etiam alienos alere cogitur: hinc præterea magnarum calamitatum sensus, ut non pauperes, sed diuites semet ipsos, & dolore confecisse, & occidisse legamus, pauperi neq; ex amissa suppellectile tantus dolor accedit ut enecet, nec tanta desperatio: ut hominem ad manus sibi inferendum impellat. sunt

pericula unum in pauperè, ne desit quo uiuat: huic quàm pluribus etiam occursum est auxiliis, amici, affines, uiri pbi, Xéobia manū dāt: nec cuiquàm ferè præter improbitatem, alimenta defuerūt non quodcunq; paratur arte, in dies: in dies etiam absumèdum est: sed aliquid in futurū seruari oportet: id si fiat, nullo in periculo egestatis homines uersantur: atq; id utinam nostri ciues intelligerent, melius enim consultū rebus suis esset sed ciuitas laboriosa: quidē, gulæ nō parcit: ob id fit ut paupertatem, & annonæ charitatem nulla alia celerius sentiat exhausta uitiosa consuetudine: quodq; habet in laboris patientia, cæteris urbibus præstantius amittit, intemperantia: & quanto in contemnenda uirtute aliis cedit ciuitatibus, eò miseria nobilior est. itaq; ut ad institutam orationem reuertamur, est hoc periculū pauperis, pluribus emendatum auxiliis, inter quæ etiam plurimi diuitibus in tempore famis seruiunt, at huius loco plurima incumbūt diuitibus, & quæ nullo modo quæant auxilio instaurari: hæc sunt insidiæ à p̄cipibus, à seruis, ab hæredibus, ab hostibus, ab incognitis etiam, unde Satyricus. Sed plures nimia congesta pecunia cura

Strāgulat: & cūcta exuperans p̄rimonia cēsus.

At uero quisquàm hoc tanquàm rem cōsu-

etiam putet cum iam diuersis modis centū uī-
 ros propter opes suas periisse uiderim, & eos
 absq; culpa alios quidem à domesticis ueneno,
 alios ferro alios strangulatos, cōplures à latro-
 nibus in uia alios ab exteris, ut curtius in urbe
 nostra, & Aluifius donatus in saccensi oppido.
 at qui fame perierint, uix quatuor in tota uita
 uidere liceat, nec eos absq; culpa, ut etiam histo-
 rias referre superuacuum sit, in his quæ singu-
 lis diebus apparent. itaq; cum ex tam paucis di-
 uitibus, tot male ex eis propter diuitias pereāt,
 ex tanta pauperum turba tam pauci fame, non
 ne & in hac causa longe deterior est diuitum
 quàm pauperum cōditio? his uestes succedūt
 explorandæ, tum suppelex, quæ ut nō necessa-
 ria est, est etiā onerosa, indiget cura, indiget cu-
 stodia, indiget reparatione nec tamen auro, me-
 lius quàm uitro bibitur: nec argento mūdus,
 quàm figulinis editur nec tutius ęre quàm lapide,
 aut terra coquunt, at uestes, quanto simplici-
 res eò salubriores, & minus onerosę. homo enī
 nudus nascitur. indiget uestimento non onere
 tam uili Romani ab initio & Lacedæmonii sem-
 per usi sunt indumento, ut regibus parerēt ad-
 mirationem, de reliquo ornatus genere, quid
 aliud dicam quàm quòd Socrates dum esset in
 mundinis: quàm multis non indigeo? aiebat au-

tem illos Diis eē simillimos, qui paucissimis indigerent. Diū enim nullis opus habent ut uero in omnibus superflua magno sunt impedimēto, tum maxime in suppellectile puluis exedit, aqua corrūpit, fur subtrahit, familiares disperdunt, mures rodūt, usus atterit, uicinus petit, raro reddit quale acceperit: quid aliud est hic ornatus quā onerosa & damnosa luxuria? si ad pulchritudinem referas, uincunt depictę uiles cartule: si ad ambitionem iam & de hoc suo loco diceēt uocatur amor in iudicium hic semp pauperi fauet: illū aut timet, aut obseruat, hūc solum uere amat, quōd etiam si quisquā ametur diues, huius nunquā certus esse potest: at ab iniuriis saltem tutior est diues, nihil minus, uindex melior est pauper, cui nec quōd amittat est, & nihil est quōd amittere timeat, at diues: & de uita, & de opibus sollicitus, multas iniurias patitur: non faciunt quēquā ab iniuria securū opes, sed animi fortitudo. at dices Diues offendere potest tutius: quo nam modo tutius, cum pauperi uertere solum noxium non sit, diuiti in patria remanere sit iactura nam & si nihil aliud succedat aduersi, habet & conscios sceleris, à quibus detegi timeat, habet & ministros quibus pro præclara illa opera, debeat: id uero & poetam haud dubie ani-

inaduertisse uideo cum dixerit de Domitiano;
 quem Neronem à crudelitate appellat loquēs.
 Atq; utinam his potius nugis, tota illa dedisset
 Tempora sæuitiæ, claras quibus abstulit urbi
 Illustresq; animas. impune & uindice nullo :
 Sed periit, postquàm cerdonibus esse timēdus
 Cœperat. hoc nocuit lamiarum cęde madenti,
 Quid igitur iam non habet melius pauper
 quàm diues? uitam, ualitudinem, prolem, cibū,
 somnum, amicos, libertatem, securitatem, uolu
 ptatem, tranquillitatem, uestimenta, suppel
 etilem, amorem, quietē, omnia iocundiora, quā
 obrem non mirum est horatium dixisse.

Bene est cui Deus obtulit.

Parca quòd satis est manu,

Optimum enim statum affecutus est, q̄ tan
 tum habet ut uiuere possit. hunc dicit Aristo
 teles esse, ut tantum ei sit quantum & se & an
 cillam alere queat, id etiam testatur p̄pheta di
 cens. ne dederis domine paupertatem, neq; di
 uitias. at si declinandum, sit periculosiores sunt
 diuitiæ paupertate: nā inopia arte & industria
 redimitur, diuitiarum incommodis, nulla est
 medela: diuitiarum etiam lapsus admodum
 immensus est. nec finis eius patet: paupertatis
 ab eo qui se potest alere, discrimē exiguum est,
 in paupertate etiam corpus periclitatur in di

uitiis animus una cum corpore deniq; si pau-
 pertas abscedat, omnia mala quæ cum ipsa ad-
 uenerunt effugiunt: at diuitiis dilabētib; nec
 uitia animi, nec corporis imbecilitas discedit. for-
 licior igitur atq; securior paupertas, opibus absq;
 dubio est, sed & ad gloriam paratior, namq; qd
 artes inuenit nisi paupertas ut Theocritus inq;.

Ἀπειρία δίοφαιτε μόνα τὰς τέκνας ἐγείρει

Ἄυτὰ τῷ μάκροιο διδάσκαλος.

Huius (ni fallor) nusquam laudis participes
 diuites esse possunt, at inuentis his, qui nam eas
 excoluerūt, certe etiam pauperes, atq; ut in pri-
 mis ab ea quæ cæterarum est ornamentū, phi-
 losophia exordiar: principes eius pauperes fue-
 re. Socrates, Plato, Aristoteles, Cleantes, hic no-
 cte aquæ hauriendæ operam locabat, die philo-
 sophabatur: sed hoc minus mirum, stoicorum
 instituto Socrates (ut Seneca auctor est) cū in
 foro esset pallium uidit: cūq; discessisset amicis
 dixit, pallium emissim libenter, si pecuniam ha-
 buissem, encomium etiam mortis, & qui eius
 gloriæ inuidebant, mendicum pene fuisse te-
 stantur. Plato ditatus est in Sicilia, cum secūda
 nauigationem lucri causa fecisset Aristoteles, et
 ipse ab initio tenuis ab Alexandro quasi senex
 ditatus est, non opus referre arbitror cæteros.
 At Poetarū lumina Homerus ac Virgilius mē-
 dicus alter, alter pauper fuit grammaticorum

& oratorum turba sequitur insignium, Pompeius Andronicus, Orbilius, Valerius Cato, Læneus, Iulius Higinus: Quintilianum angusta re familiari fuisse, docet epistola Plinii Cæcili munifica: statium poetam mendicasse, iuuenalis irridens docet, eo carmine.

Esurit intactam Paridi, nisi uendat agauem.

Sed iam in literaria palestra, concessuros lauream diuites, sponte non dubito his est in armis quâquam nec in his scæliciores sint, quàm in literis concedât nobis Paulum Æmilium, qui mortuus non reliquit unde dos redderetur uxori: Marium, & Sertorium, infimæ fortis homines Romanos: in cuius alterius salute spes Romana, in alterius periculum positum aliquando fuit. tum Camillum belli fulmen. Africanum Scipionem: cuius frater ob multam, quàm persolvere non poterat, si Gracchus non obstitisset, carceri mancipabatur. arator Cincinnatus, Calatinus Fabritius Pirrhi oppugnator, Valerius publicola, Menenius agrippa, Q. Æmilius tum Aristides phocion Miltiades Cimon Spartacus uiribus totque Lacedæmonii Duces inter quos Lysander clarissimus extat: ab inferis reuocentur. his quos oppones præcipitem Alexandrum, aut Cæsarem patriæ euersorem, aut Syllam cum suis per scriptiõibus: non est quo temere in tam claro

iudicio, diuites cum pauperibus cōgrediantur
 at nūc temporum uicio reges ab adulatoribus
 persuasi, duces nō eligunt, sed emūt; maxima-
 q; omnium fundamenta, uitam ac regnum nō
 uirtutibus, ac peritię, sed diuitiis & generi com-
 mendāt. inde magistratus & questores. Archia-
 tros, p̄fectos, non ex uirtutum eminentia, sed
 ex conspiratione nobilium & potentū sumūt.
 & si nequicquā illis eueniat boni: id saltē lu-
 crificiunt ut consuetudine & paucitate adiuti,
 omnes habeant dignitates, uerum non fallunt
 purpurati in iudicio, atq; utinam non magis in
 consilio principes, illud enī animaduertere eos
 decet, nobilitatem certe p̄ponendam: at nobi-
 lem eē qui & uirtute digna nobilitate facit. hoc
 tamen ferendum est, illud intolerabile cum ab
 obsequio non à genere aut potentia electio su-
 mitur at tales carere omni non solum eruditio-
 ne. sed probitate necesse est & nisi nos à propo-
 sito discessisse agnosceremus longior oratio
 auocasset: sed festinandum ad huius libri fi-
 nem est atq; denuo glorię occasio quærenda
 est: quæ cum in militia, in literis, apud paupe-
 res sit, atq; in inuentione artiū: num in artibus
 ipsis gloria diuitibus concedetur? cum nec eas
 attingant. At uero sint diuitiæ paupertate p̄æ-
 stiores, quid nam miserius homini à Diis im-

præcari possumus quã cupido ditãdi quæ co-
 maior semper fit, quo magis augentur opes, la-
 bor inexhaustus, & indefessus: sicut Sisyphæo p-
 similis: quem poetæ reuelantem archana Deo-
 rum: fingunt in inferno gestare ab ima montis
 radice, ad uerticem prægraue, at cum appropin-
 quauerit dilapsus denuo excipiendum hume-
 ris, sic non est aliud parare diuitias, quàm cor-
 pori perpetuum laborem, mēti curas innume-
 rabiles iniicere, at uero alea lucri, quotiens sini-
 stre cadit, quæ etiam si semper faueat, ac ut su-
 pra spem cedat, quid foelix in uita ea eē potest,
 in qua partis, non magis quàm his quæ nō ha-
 bes uti non licet. hoc enim unum est quasi con-
 gregantium diuitias *ἀξίωμα* Horatianum.

Qui numos aurumq; recondit, nescius uti.

Compositis: metuēsq; uelut contingere sacrū,

Sed si liberaliter ac splendide uti uelis, quis
 furor est, simul maximo labore quærere, ac si-
 mul effundere: non alia pœna Danaides mulie-
 res damnatæ finguntur in inferno, ob ingēs sce-
 lus parricidii. quã ut cribro exhauriant aquã,
 sed libeat congregare, en tibi aut posteris tuis:
 atq; interim non otium, non quietem, non uo-
 luptatem capere, studiis interdiceret uitam red-
 dere breuiorem, ac ualitudinem infirmare, cui
 uero usui ut uel in morte sepulchrū marmo-

reum extruas funus habeas amplum, parenta-
 lia magnifica, ac solēnia, ut quosdam fecisse ui-
 deo relinuas. Sultam hanc curam & superua-
 cuam irrisit moriens Socrates cum palliū præ-
 tiosum offeret Apollodorus, equidē nulla est
 mortalium cura tam inanis, quā pompa fune-
 bris: id scio fateberis, & ad hæredum commo-
 da confugies. relinquatur diues filius, qui gra-
 tior hæres quæri potest, interim tamē labores;
 turg, uigiliæ, infamia, iniuriæ, scelerumq; consci-
 entia tua sunt, ut reliquas quòd filius belluat:
 scortetur, pdigat, consumat, perdat, ipsum ue-
 ro uecordem, inertem, amentem, ac in summa
 deterior c̄ faciat: sed hei quot inimicis labores
 hi parantur. plerūq; deest filius, aut talis est, ut
 natum esse poeniteat: uel etiā odiosus, quot etiā
 filiis locuples hæreditas exitio fuit, idq; præci-
 pue regum liberis accidit, dum imbelles relin-
 quuntur, ab ipsiſ enim met tutoribus spolian-
 tur regno, ac uita, qualis Tryphon qui tutele
 Antiochi relictus, cum fraude eum Tryphon
 tollere uellet, simulauit puerum egrum, medi-
 cosq; induxit, qui eum calculo uesicæ laborare
 dicerent atq; iccirco secandum puerum decre-
 uerunt, quo uulnere cum uesicam ipsam con-
 sulto incidissent, miser mortuus est annos decē
 natus. Cicero in oratione p̄ sexto rosio osten-

dit quantas procellas locuples patrimoniū eius illi inferret ut etiā de parricidio quòd maximum est scelerum, condemnari postularef, quòd tandem in re tam uulgari est, cur de summis nunc loquor opibus, quotidianum experimen tum desideretur cum patres filios, filii parētes, fratres, uita exuerit ut regno spoliarent est qui dem illud poetæ uerissimum.

Non intrat unquā, regium limen fides

At quorsum hæc posteriorum potētia, etiā si nō fraudetur, quā uoluptatem quis capit, ingentem habens seruorum numerum, tum familiarium, quos hostes gratuito alat, quibusq; seruire cogatur, atq; illud egregium libertatis munus, pro ambitione commutet, neq; enim aliud est homo diues, quā Deus peripateticus scilicet legibus suis circūscriptus, seruus, ac inutilis seruus, ò stolidam hominum cogitationē, quæ tot labores subit, tot curis angitur, tot sceleribus se mācipat, tot iocūdos amittit dies, ut filium relinquat, mulis procerum non absimilem hæc pingues & ornatae, absq; sensu frenis & habenis cohibet, æinertes etiam muscarum iniuriis subiiciuntur, at pauperū filii indole; uirtuteq; ac robore insignes, ea gaudēt, quo uolūt pergunt. omni soluti curā, iam uero adulti uentantur, piscantur, aucupantur, ludūt uaganf,

non

non ne libertas hæc uel Crœsi diuitiis antepo-
 nenpa est, sed ex his qui tam ingentes opes he-
 reditate acceperunt/maxima pars etiam eas cō-
 sumit:nec aliud pœnæ genus illorum parenti-
 bus à morte traditum putem:quàm ut uideât
 tâto tempore/ac guttatim collectas diuitias ab
 impuro & prodigo filio effundi/scortis/alea pa-
 rasitis/foro adulatoribus noui quédâ. cui auus
 ac pater annorum quinquaginta spatio:octua-
 gies sestertiū congregauerant, tribus annis cum
 cta prodegisse filius. Ruini cū locupletem hæ-
 reditatem à patre accepisset in eâ animi intem-
 periem peruenit, ut uitam etiam cum facultati-
 bus amiserit. quot rei fiunt legibus, quot per-
 duelliones, quot criminis læsæ maiestatis, qui si
 intra mediocrem stetissent fortunam/tanta ma-
 la euasissent, adde quot hominibus necessarius
 hæres deest/non frater/non filius/non fratris fi-
 lius/non ullus talis, qui uel quadrante te redi-
 mat:his tamen infania hominum laborat, non
 nocte/non die/requiem habes:quamobré cum
 nec foelicitati/aut gloriæ/aut posteris/diuitiæ cō-
 ferât:nihil uero deterius sit quâ aut optare/nō
 habetem/aut conari ut habeas:genus atre bilis
 quoddam esse puto paupertate discrucari/ue-
 rum cum nō Rethorum more quicquam per-
 suadere decreuerimus, sed philosophorum

stituto, bona fide utrâq; partē diligenter in exa-
 men ducere uideamus etiā quæ aduersus hæc
 dici possint/atq; primo illud occurrere uideo/
 quòd pauperes omnes diuitiās querunt. diui-
 tes nulli / unquam paupertatē: & quāquā hoc
 eludere multis possem modis/atq; nō falso ē/
 forsitan/nihil tamē hoc in opere charius est sim-
 plicitate animi/cum non ex uoluntate iudiciū/
 sed ex iudicio uoluntatem oriri uelim/itaq; ut
 ad rem reuertar omnibus in rebus quæ aut ani-
 malibus essent utiles/aut necessariæ/defideriū
 earū natura largita est/in quo bruta solius sen-
 sus arbitrio/recta legem necessitatis non præte-
 reunt/at homo liber cum in se rationem conti-
 neat sensuū/quibus alligatur persuasiōe: plus
 edit/bibit/dormit/ quā uel utilitas/aut necessi-
 tas præcipiat/ sicq; ut edere/bibere / ac dormire/
 tum naturalia sint, usu superfluo/apud homi-
 nem naturæ contraria euadunt: itaq; & in hoc
 genere opes sunt, tantum enim optare, quantū
 uitæ ducendæ sufficiat naturale est. at qđ ultra
 expetitur non solum bonum non est, sed etiam
 naturæ contrarium, quomodo enim quòd na-
 turæ contrarium est / bonum esse potest? p̄fici
 scitur igitur hæc diuitiarum sitis à uitio nō à
 natura/ob id omnes homines opes optāt uelut
 & cibum/& potum/non quòd excessus ille na-

naturalis sit sed quoniam aliquid est in eo genere
 quòd naturale existat: scilicet desiderium eius
 quòd ad uitam ducendam est necessarium: hoc
 uero uel industria habetur/ut qui artes callent
 aut redivitibus/ut nobiles/aut consensu ut fran/
 ciscani/aut aliorum uoluntate/ut aulici: & me/
 dicates/non igitur ut nec non edere/nò dormi/
 re/ita opes optare possumus, contrarium enim
 naturæ est nihil habere/nec posse habere/ ut ta/
 men & satietas & ebrietas non tantum sunt ma/
 la, sed etiam iniocunda/sic & diuitiæ ac poten/
 tia/illud etiã obiici merito quis dicat/ quòd ea
 bona quæ nos pauperi tribuimus/ut pote labo/
 rem / exercitationem/industriam/patientiam/ab/
 stinẽtiam/nemo si uelit diuiti negare potest so/
 la itaq; horum licentia beatum diuitem effice/
 re debet, cum enim ex uoluntatis consensu/uo/
 luptate caremus/carere ea uel non malũ est/uel
 quòd careamus uere dici non potest/sed fallun/
 tur qui sic existimant, ab initio enim inter opes
 educatis/animus effluens delitiis/corpus mol/
 le & ad labores impatiens efficitur: nec multis
 cibis ac leuibus assueta natura/dura alimẽta &
 tenacia concoquere potest unde ex his, qui in
 uitam pauperum iam delitiis assueti transire
 uoluerunt, in dolores/& tabem/& obstructio/
 nem incurrebãt; qui uero in labores seu coacti

seu ambitione ducti inciderunt, extenuati con-
 fractiq; sunt primo, ac demum correpti febril-
 bus mortui sunt. At qui literarum in studium ex
 his ingenti ardore profecuti sunt omnes in iu-
 uenta obiere: uelut Ioannes Picus mirandula,
 impossibile est enim omnino natum diuitem
 in doctrina præclarum euadere, nisi uel ab ini-
 tio pauperum uitam imitetur, uel in iuuentu-
 tis flore decidat in insaniam, aut mortem forsi-
 tan & illud contra paupertatis encomium di-
 rent, quod ferme Aristippo Dionysius, scilicet
 pauperes à diuitibus rogare, petere, eorum li-
 mina obsidere: at contra diuites nihil cum ho-
 rum agant, etiam pauperibus imperare. At ue-
 ro si ad operæ necessitatem aspicias pauperum
 diuitibus longe magis necessaria est, quam di-
 uitum pauperibus. rogat diues medicum, co-
 gnitorem, Tonsorem, mulionem, colonum, co-
 quum: à nullis penè rogatur. uerū cum id am-
 bitiose, & cum fastu (ut pote alienorum cura)
 exigat: imperium in pauperes habere uidetur.
 æmulatio etiam ipsa pauperū, ac contemptus
 huius inanis gloriæ, facit ut magis diuitibus
 pauperes, quam pauperibus diuites indigere
 uideantur: at si pro necessitate res ageretur, di-
 uites singulis horis ad pauperū domos discuti-
 sare uideres, pauperes ad diuitum nunquam.

neq; istud dubium esse debet, pauperum indu-
 striam quotidie diuitibus necessariam : diuitū
 opes pauperibus etiam si necessariæ forent, uix
 uel in anno semel . At uero ex re etiam diuitū
 esse uidebitur, atq; illorum cause fauere, quod
 opulenti honoribus magistratibus, & gloria
 digni soli uidentur : at non sic in Venetorum
 repub. non sic etiam Romæ donec prosperæ
 res fuerunt: non sic inter Lacedæmonios inter
 quos paupertas laudi maximæ erat. nō sic Athe-
 nis, ubi Phocion, Aristides, Cimon, Miltiades,
 pauperrimi maximos in repub. magistratus tā
 diu gesserunt, ut dicere pudeat. Quod uero in
 male institutis ciuitatibus, ubi potentia pro le-
 ge, uirtus pro ludibrio, pro iuribus opes, ha-
 bentur, diuites non ingenui, pudoris eligans,
 neq; è repub. est quoniam necessario breui per-
 mutatur : neq; desiderandus est ulli pauperi,
 quantumuis optimo magistratus : nempe ut
 Socrates dicebat: nunquid est cuius te poenite-
 at: sed si uellem magistratum incommoda re-
 ferre, non dubito quin & hoc pauperum foeli-
 citati tam quàm egregium, quoddam munus
 adiiciendum esse: uerum cum assumpta præ-
 positio, in bene instituta repub. ex toto falsa sit
 utile nō existimaui, tam absurdam suppositio-
 nem prætermittere. Huc usq; igitur ueris sed

Subtilibus rationibus diuisus/diuitiarum cupiditatem differuimus, uerum ex initio causam hanc mihi repetenti, non amplius spiraculis, & acutis disputationibus: sed plena oratione, liquidoque sensu agendum arbitror. atque in primis monendos eos duco, naturam humanam tamquam ignem quendam, e terra procedentem, in excelsum ferri: hanc quidem magis, illam autem minus; ceterum ut ad summum peruenit, euanescere: sic omnium hominum ut stirpes ad summum gloriae, uel regiae dignitatis peruenerent: paululum in eo cacumine, consistentes extinctae sunt. ecquam enim Alexandri, Darei, Antiochi, Ptholomei, Dauidis, Caesarum, Antigoni, Mitridatis, ac caeterorum antiquorum regum stirpem ostendes, itaque cum eo perueneris ne gratulare, sed dic ecce exitus rerum humanarum instat. tum uero his consistentibus (Dii boni) qui casus, qui dolores superueniunt? Carolum hunc quintum Caesarem uirum a Iustiano potentissimum, ac foelicissimum, qui ab Indiae extremis partibus ac Aethiopiae, per Hispanias & Italiam usque ad Dacos, & incognitas antiquis regiones, longe lateque dominatur: cuius auspitiis saepius plura acta, quam sperata sunt: qui consilio ingenti tantam nationum regumque discordiam mulcet; tam ancipitem fidem conti-

het: inspice & ne beatum dixeris: cum cogitat
 quantis copiis Solimanus rex imperii finibus
 immineat, quã solícite ab Africa turbetur Ba-
 leares insulæ Hispani: q̃; quã inconstantes sint
 Italorum principum animi, quã facile Sicilia
 ac Apulia turcarum uolentia Subiaceat, quã
 diffideant Germaniæ principes: Sororius non
 admodũ cõcors, nuper aduerso Neptuno di-
 ffecta classis, clades accepta in Pannonia, alia in
 Illyrico: hũc ne foelicissimum dices? cuius tam
 ingentes cure? tanta pericula tam grauis dolor
 iacturæ sit, dispereã, si ad foelicitatem respicio,
 nisi uelim me potius esse Carthusianum mo-
 nachum, cumq̃; gregarium: quãquã & illi pa-
 rum diferant ab his qui in carceribus sunt, iam
 canos, uix quadragenarius, undiq̃; misit. At ue-
 ro quid in aliis statues, si hic talis, ac tantus, tã
 longe à foelicitate abest. Nunquid Franciscus
 Gallorum Rex foelix dici potest? num Solima-
 nus? quis non metuit? quis aduersam fortunã
 non expertus est? qui & si nihil triste ad hanc
 usq̃; diem tulissent/grauiora formidarent cum
 meminerint aliorum qui fortunę casibus iacta-
 ti sunt. nihil enim Polycrates infœlix expertus
 in tota uita, à persarum rege in crucem actus
 est. Darius Rex regno spoliatus miser occubu-
 it, qui imperium diis æquale habere existima-

batur. uide Syphacem, uide Perseum, Mitrida-
rem, Pirrum; uide Cambysem, stultus sim si re-
ges uelim numerare q̄ fortunæ Ludibrio fue-
re: nostra ætas quatuor regnâ extincta uidit:
Pannonicum, Ægypti insubrum (postquâ Gal-
liæ cisalpinę partem sic appellare libet) & Apu-
liæ sublatis prorsus regibus illorū: ea sunt tem-
pora, ut uel infœlicem esse oporteat regem, uel
miserum: miser si regnum uult retinere, infœ-
lix si non possit. ò quàm bene lucanus dixit.

O uitæ tuta facultas.

Pauperis angustiꝯ; lares: ò munera nondum,
Intellecta Deum:

At tu modo non interiora principum inspi-
ciēs, sed uelut in sepulchris externas picturas/
statuas ornamentaq; tantum beatos illos iudi-
cas/qui sint omnium mortalium infœlicissimi
at uero illud etiam spectandum est cum de so-
la paupertate conquæreris/quot aliis longe sis
fœlicior/quot egrī/quot surdī/quot cæci/quot
in carceribus, in exilio, in seruitute, obsessi/dam-
nati/ad militiam coacti/quibus omnibus absq̄
dubio fœlicior es. At etiam si de sola paupertate
contendas nec equidem nisi te, uel regem eę
cupias:mœrere decet, aspice quot in ciuitate mi-
seri, quod in suburbiis mendici quot in uillis
imo pene omnes nihil habentes/familia onerati

tributaq; singulis mensibus pendere ex labori-
 bus suis coacti, sed hei christianam gentem: in
 eos sermones incidi/ quos nec unquam cogita-
 uerã. ita fit ut cum dolorem aliorum leuare cu-
 piam, ego ferme in eum inciderim, sed ualeant
 quæ a me argui possunt corrigi nequæunt/ ue-
 rütamen neq; id absq; proposito occurrit nãq;
 uis aperte intelligere nullam (ut opibus foelici-
 tatem) nullam. in paupertate esse miserã inspi-
 ce eos, qui in uillis habitãt minimis opibus glo-
 riari, & se beatos existimare quòd nullos eius
 loci incolas tantum possidere cernant: quãuis
 nec ipsi tamen sint diuites. At iidem si ad urbẽ
 se conferant ut alios opulentiores uiderint sta-
 tim dolët/ & se pauperes putãt. quid igitur est
 ne hæc paupertas. æquidem nõ/ sed inuidia. q; s
 est qui Decies sestertium possidens/ pauper di-
 ci merito possit, & si ruri degat principẽ se non
 existimet, si tamen in aulam se cõtulerit ubi ne-
 mo tricies sestertium non habeat/ illico pãuper-
 rem se prædicat & credit. An putas si (quòd fe-
 runt diluui tempore accidisse) homines cõmo-
 dis omnibus carerent/ non pecunias non armẽ-
 ta habentes/ aut uestes/ quẽquã omnino iniu-
 riam paupertatis egre ferre haud credendũ est:
 quid igitur plura. etiam nunc habes conquere-
 ris/ manifeste deprãhensus non paupertatẽ ur-

gere sed æmulationem. At quid, hoc etiã de-
 terius, cur non indicæ & sabeiurum & Regū di-
 uitiæ te torquent, nisi quòd illi plurimum, ab-
 sunt à te miser. igitur non tuo commodo, sed
 aliena potius atq; ea quàm & optare, & dilige-
 re deberes scelicitate ureris. At quantam popu-
 lis paupertas libertatis custos fuit ac imperadi
 magistra Sythæ aliquando Asię dominabatur
 inde Assyrii/Medi/Perfæ/& hi omnes ab initio
 pauperes; inde Alexander cui nihil præter ar-
 ma & corpora esset Asiam subegit post Ro-
 mani inclyta paupertate/superbos uicere gallos/
 fortes Italos/dolosos Græcos: locupletē Asiam/
 fallaces pœnos/contumaces iudeos/omnia hæc
 superat paupertas: parthos uero ac persas/& ger-
 manos/quoniam & ipsi paupertate tuerentur
 totis imperii uiribus subigere non potuerunt
 inde uelut sole glaciei adueniente/quàm primū:
 diuitiæ sub Sylla urbem igressæ sunt /uires dis-
 soluebantur/ac liquecebant: primo igitur sedi-
 tiones/inde bella ciuilia atq; cum his excidium
 familiarum/quibus imperium coaluerat hinc
 seruitus post amissa dominatio undiq; barba-
 ris irrupentibus/tandemq; breui etiã ciu-
 tas direpta/ac euersa:nec quidem priuatis uti-
 liores diuitiæ sunt/quæ homines rudes ambi-
 tiosos/inertes/& anxios faciunt /cōsueuerūt:hinc

miserum poeta lepide Midam cum impetrasset à Baccho ut cuncta in aurum uerterentur descripsit dicens.

Attonitus nouitate mali diuesq; miserq;
Effugere optat opes & quæ mō uouerat odit:
Copia nulla famem releuat: sitis arida guttur
Vrit: & inuiso meritis torquetur ab auro

Tanta est opulenti miseria/ut inter opes earū desiderio consumatur/nihil legitimū est apud eū qui opibus inhiat/quòd ab auaritia sua dissentiat: ide fidei/amorem/pietatem/iustitiāq; soluit: quis iure credat uitam/aut opes/aut gloriam/diuitiarum studio quæ cū inutiles sint non diu etiam plerūq; apud eosdem manent, etenim raro est/ut nepotem locupletis uiuere diuitem uideamus: rarissimum uero ut moriatur, quid igitur mirum est tot egregios uiros opes, aut habere neglexisse/aut habentes sp̄rauisse/atq; i primis à Thebano Crate initiū facientes (ut christianos quorum numerus notulis indicis solum ostendi poterat etiam nūc perseuerantes relinquamus) hic uniuersis bonis uenditis/ut liberius philosophiæ operā daret redemptam uniuersam pecuniam, præcipit in mare, Sapienius, Apollonius, Tyaneus & Perègrinus philosophus cūctas opes, & erat sanè ingens, patrimonium ciuibus suis distri-

fuerunt nihil sibi seruantes, Zeno citticus cū
 diues olim ex naufragio philosophiæ operam
 in maxima paupertate daret: dicere solebat tūc
 secundis uentis nauigauit cum naufragium feci
 sic Diogenes utraq; laude dignior est. nam pau
 pertatem non solum bene tulit & constanter,
 glorioseq; uixit in ea: uerū cum ab Alexandro
 rogaretur an quicquā uellet/negauit: cum li
 ceret à splendidissimo Rege ditescere quāobré
 Alexander dicebat si Alexander nō essem Dio/
 genes esse uellem agnouit Rex animi illius in
 gentem foelicitatem/qui diuitias sperneret. si/
 mili libertate Phocion, sed etiam certiore Ale/
 xandri/ primo talenta centum, post etiam plura
 recipere noluit/qui tamen tam inops erat ut
 aquā sibi lauandis pedibus hauriret / uxore
 p̄sente/ ut non ancilla/nō seruus/ei esset: eodē
 animo, Socrates & ipse Alcibiadis dona accipe/
 re noluit/ ut longe minus mirum sit, quod cū
 Artaxerfes hypocratem ad curādos morbos &
 Epaminūdā ad amicitia uocaret / missis utriq;
 ingentibus donis/non impetrasse: uerum illos
 maiore animo regis munera aspernatos/quā
 ille dedisset sic Fabritii cōstans fides/Pyrrhi au/
 ro/corumpi nō potuit: mansitq; grata illi pau
 pertas/regum opibus lōge dulcior/ut nihil illis
 animis generosius possit existimari/aut eē foē

licius/ quos etiam quâquam indignos christia/
na pietate memores, tamen sui candoris aliquo
ingēti solatio fr̄i crediderim: itaq; ne dole pau/
perem te esse, sed illud Platicum sepius me/
mora: qui ditari uult/ minuat desiderium: opū
non opes augeat/ diues enim opum multitudi/
ne/ aut sceleratus est/ aut scelerati ē heres/ ut bea/
tus Hieronymus scriptum reliquit.

Proxima huic exilii quærela est/ in qua illud
mirum cerni potest solam imaginationem io/
cundam rem/ acerbam efficere: namq; si mentē
aduertas quâmplurimi, extra pātriam plures
annos consumpsere uelut Plato, & Berofus, &
Galenus, & Dioscorides: alii uitam uniuersam
uelut Zeno citticus & Crātor solensis & tamē
his iocunda fuit hæc peregrina habitatio quo/
niam uoluntaria fuerit/ simileq; id mihi uidef
hoc d̄sideriū cuiusdā senis/ nostri cōciuis/ histo/
riæ: is namq; cū annos natus sexaginta subur/
bia ciuitatis non excessisset pro miraculo dela/
tus ad Principem cum præceptum sibi intelle/
xit ne uel in posterum exiret/ cum ante non co/
gitasset nixus est (ut dici solet) in uetitū roga/
bat itaq; Principem ut permetteret peregrinari/
iam senem: qui iuuenis tam diu neglexerat cū
Princeps negasset ferunt dolore confectū mor/
tem obiisse/ quid tam stultum est quàm uel bo

na negligere/uel mala optare non est autem ma-
 lum peregrinatio/quàm tot Reges/tot Impera-
 tores tot uiri illustres excolunt:quid igit do-
 lendum est si etiam coacta sit equidem nullum
 bonum quâquam inuitum malum eẽ potest:
 at uero quot bona peregrinatio prestat:prude-
 tiam in agnoscendis moribus/in uitandis peri-
 culis/tum scientiam multarum rerum:specta-
 cula inde urbium/maris/montium/fluminum/
 sylvarum/coeli/uarietatem animalium naturã/
 tot artes/tot ingenia/tot miracula/ut nil mirer
 inclytos quosq; uiros atq; in primis Alexandrũ
 perpetua fuisse in peregrinatione:in quo ma-
 gis suum æmulum Traianus æquare nitebat/
 quàm ut orbem totum uideret/prouincias om-
 nes/aut in fidem acciperet/aut subigeret. Anto-
 nino (ut erat mansuetus natura) spectasse nõ ui-
 cisse gentes propositum fuit,ceterum ut ad pri-
 uatos homines me conferam. ne regius fastus
 mihi impedimento occurrat, omnes qui aliqd
 pene diuinum excogitarunt/in secessibus man-
 seret:amicum suum ulissem/Homerus quã ma-
 iore laude quàm à peregrinatiõẽ pro sequit?
 nonne in exilio clarissimi fere omnes fuerũt ui-
 ri Demosthenes, Cicero, Aristides, Thucidides
 Themistocles, Alcibiades, Codrus: Theseus, Eu-
 molpus, Thrax græcorum origo Aristoteles,

Camillus, Coriolanus, Marius, Datamis, Trafi-
 bulus, Dion, Annibal, Demetrius phalereus: at
 uero sponte etiam plures uelut Conon, Athe-
 nicus in Cypro uitam ducēs / Iphicrates in thra-
 cia Chares in bigeo Thimotheus Lesbii: Xeno-
 phon in scillunte Helia: quid plura Socraticū
 illud dic / sapientis patria est mūdus / exul est sa-
 piens / cum extra mundum est, hoc autem fieri
 nequit: omnis ingētis spiritus proprium est si-
 bi parere mortem / aut carcerem / aut exsiliū / ho-
 rum trium, quid minus molestum esse potest
 exsilio. uerum cum mors ipsa mala non sit qd
 esse dicemus exsiliū unam urbē amitti: om-
 nes aliæ patent: cum quidam Diogeni dixisset
 Sinopenses exsilio te damnarunt respōdit Dio-
 genes / ego illos ut perpetuo in ponto ac extre-
 mis Euxini littoribus maneant damno: adde
 quot uiris cesserit foeliciter exsiliū unde Te-
 mistocles dicere solebat perieramus nisi periis-
 semus Euagoræ exsiliū & Pelopidæ patriæ li-
 bertatem: huic quidem Thebarum illi salami-
 nis Cypri pepererit quid Camillus ex ardeis nō
 ne occasionem accepit tam inclytæ uictoriæ. at
 uero sapientum libri / ubi magis quàm in exsi-
 lio cōditi / pulcherrima operum Nasonis de tri-
 stibus / de ponto / in ibin / triumphus Cæsaris / &
 de illius laudibus fastorū; item ac de piscibus:

in exilio cōdita sunt: ut appareat octo in annis
 exilium plus præstitisse/ quàm quinquaginta
 quatuor coeteros priores/ quibus Romæ uixe-
 rat. namq; & transformationum libri commu-
 nes etiam exilio fuere: indicant id carmina su-
 perba fini operis adiecta: ut absolutum ibi ui-
 deatur. quid Homeri operibus præstātius est.
 quæ ipse omnia si non exul/ uagus tamen à pa-
 tria scripsit Plato in epistolis testatum reliquit/
 prius consenuisse quàm in patriam rediret exi-
 stimandumq;: est cum eius Lysidem Socrates
 audierit/ damnaueritq; nimiã illius erga se pie-
 tatem: Platonem maximam librorum suorum
 partem extra patriam cōdidisse: nam uigesimū
 septimum annum agebat Plato / cum Socrates
 excessit è uita. Hercule quid bonū affert patria
 si quid coneris præter inuidiam; & eo præsertim
 si humiles natales sint ubi deterius Christus ac-
 ceptus est quàm nazareth/ ubi erat educatus ubi
 uexatus/ oppugnatus/ demum occisus/ nisi hie-
 rosolymis in patria sua/ nonne eius illud dictū
 est, non est propheta acceptus in patria sua exsi-
 lium igitur non solum malum non esse. sed etiã
 bonum/ ac gloriosum satis cōuicimus: idq; præ-
 cipue uiro sapienti ac studioso/ nemini uero in-
 fensum esse debet cum plerisq; magna orna-
 menta afferat, quid enim nocuit Leoni decimo-
 ne ex

ne ex eo in pōtificiam potestatem emergeret:
atq; utinam tam multi intelligerent quantum
omnibus præstaret diutius peregrinari, pluri-
bus uero à patria etiam semper abesse si uel ibi
pro legibus colantur diuitiæ, aut pro iure po-
tentia sit: uel omnino tyrānidis genus aliquod
dominetur. Quare exiliū nec inter mala, nec
inter ea quæ mali umbrā referūt reponi debet.

Vehementius etiam aliquos iniuria torque-
re solet, quàm exilium, & laconicū illud in me-
dium afferunt: ueterem ferendo iniuriam, irri-
tas nouam: sed quàm plane à scopo aberrant, si
putant iniuriam ultione dignam, nam sic agen-
tibus, conuenit ut iniuriarum nullus finis in-
ueniatur: cum iniuria, sit iniuria ulciscenda. nō
ne & qui priorem intulit iniuriam, secundam
ulcisci uolet? alia igitur iniuria inferendā, ac de
nuo illa ulciscenda: quis tandem finis erit iniu-
riarum? pessime igitur agit, qui primam infert
iniuriam, post eum qui ulciscitur: nāq; tertiam
fieri oportet iniuriam: quo nāmmodo enim in-
iuriam patietur, qui ultro non laceffitus iam in-
tulerit? quid igitur melius quā omnino à pri-
ma conuiuiscere? illud etiam intelligere conue-
nit, quòd ut Plato dicebat, tantum differt sapi-
ens à uulgari homine, quantum uulgaris ho-
mo à puero. Solent autem pueri omnem quan-

tum licet iniuriam/uindicare: etiam non ultro
 illatam: uelut etiam belluæ, quarum si pedes/
 uel caudam Inuitus presseris, illico mordent:
 illud non quærentes, an uolens intuleris iniu/
 riam, at homines non sic: sed uoluntarias tan/
 tum, & sponte illatas ulcisci consueuerunt. Si
 igitur sapiens solū casu illatas uindicare negli/
 gat/in quo erit, hic præstantior uulgari homi/
 ne: & ab omni philosophia remoto? Quāto sā
 ctius igitur erit illud seruasse diuinum præce/
 ptum/mihi uindictam & ego retribuā? Sic au/
 tem egisse sapientes, q̄s dubitat? inter quos So/
 crates cum quidam eum calce percussisset/hor/
 tantibus amicis, ut eum in iudicium uocaret/
 respondit: quid si me asinus calce percusserit/
 q̄ ridiculus ero/si eum in iudicium uocem? cū
 uero Xantippe uxor irata pallium detraxisset/
 hortantibus amicis ut manibus se ulcisceretur/
 respondit, Socrates: ut uobis hoc spectaculum
 edam/atq; ut dicatis eia Xantippe, eia Socrates,
 Diogenes autem colapho accepto nil aliud di/
 xit/q̄ nesciebam quando mihi cum galea ē dor/
 mo sit prodeūdum. quin etiam Crates pugno
 percussus, à Nicodromo citharedo/nomē per/
 cussoris super plagam posuit: sicq; per urbem
 ibat, illud ostendens maius esse, longe dedecus
 immerito, iniuriam inferentis q̄ eius qui reci/

pit: ille enim prauum & sceleratum eo facinor
 re plane se confitetur: illū nullius omnino cul
 pæ coarguit. At leges omnes ultrices inferenti
 um iniurias, quaquām à potentibus constitu
 tæ sunt, nullæ plectentes eum qui iniuriã pas
 sus sit. Antisteni cum diceretur Platonē ei ma
 ledicere, q̄ probatum succurrit responsum: hoc
 regium est inquiens, cum benefeceris male au
 dire. At Plato cuidam dicēti Xenocratem eum
 uerbis insectari: primo negauit: id uerum cre
 derere: cum ille instaret: iuraretq; respōdit, Pla
 to: se non existimare illum hæc dicturum / nisi
 expediret. quid tranquillius / aut sapientius di
 ci potest: sit uero propositum te nec sapientem
 esse, nec Christianum / quandoquidem ueritas
 consulat, ut percutienti dextram maxillam, si
 nistram etiam offeras. Paulus uero dicat: quòd
 si benefeceris malefacienti tibi: carbones super
 illius caput cōgeris. neq; enim maius est scelus
 ingratitude / nec crudelius facinus / q̄ innocen
 tem opprimere: quorum utrūq; facit / qui in be
 nefactorem suum iniuriam intulerit: legem na
 turæ nunc tantū imitemur / illudq; uideamus /
 quando ulciscenda est iniuria / an cum tuto po
 tes / an cum non potes: equidē quid aliud hoc
 stultius excogitari queat, q̄ eum non tuto pos
 sis ulcisci / tunc uelle? Sic enim Pausanias Phi

lippum ultus est: Sed poenas dedit in cruce:
 sic Andreas Lampugnanus Galeazium Sforti-
 am, ultus: Sed sibi, & filio, & fratri, mortem pe-
 perit: patrię etiam incommoda plurima. At ue-
 ro quot fuerunt quibus ante ultionem/pro in-
 iuria mors/ & cruciatus sucefferunt? uelut his
 qui Phalarim occidere destinauerant/ Pisoni-
 que ac complicitibus coniurationis/in Neronę exem-
 plorum multitudo facit/ ut non referam. Peri-
 culosam igitur uindictam quis etiam mentis
 inops/ laudet? quę uel patrata tibi sit deterior/
 q̄ illi, & non peracta nihilominus, te tuosq; per-
 dat? reliquum est igitur/ ut cum possis tuto tunc
 ulciscaris, at uero id nullo modo tunc faciendū,
 quis dubitat? primo quòd hinc est iocunditas
 ultionis, illinc magnitudo animi, generosumq;
 facinus ostenditur: atq; ut poeta dicit.
 Parcere subiectis, & debellare superbos.

Ideo Ariston mihi iure, laudandus uidetur
 nam cum Cleomenes dixisset amicis benefaci-
 endum esse/ inimicis autem male: suscepit Ari-
 ston uerbum/ dicens: amicis equidem benefa-
 ciendum: uerum inimicos esse reconciliandos.
 maius est utiq; præmium glorię/ cum ignoue-
 ris inimicis/ quos perdere potueris: q̄ uoluptas
 uindictę. homo qui benefacit/ his etiam qui eū
 persequuntur, similis est Deo: nāq; & ipse tot

maledicentes impios sacrilegos alit/fouet/tuet/
 ut non obscurum/sit nihil proximus Deo acce-
 dere/etiam præter legis nostræ institutionem
 q̄ obliuionem uindictę. At uero q̄ generosi ani-
 mi sit, noluisse ulcisci testantur antiqua exem-
 pla: inter quæ diuinam illam laudem. C. Iuli-
 us Cæsar, tam sibi ascripsit: ut à nemine uinci
 patiatur: is enī cū Pompeiū supasset/iussit par-
 ci omnibus ciuibus/q̄ extra acie essent. M. Mar-
 cello hosti acerrimo, indulgit: Petreium ducem
 aduersæ partis, atq; Afranium, ac Varronem, in
 deditionem acceptos/tum Corfinium. L. Len-
 tulum. L. Domitium/captos dimisit: filio Cato-
 nis singularis inimici ignouit: Sextum Pōpeiū
 filiū magni Pompei/natu minorem persequi
 destitit: in morte patris illius/quæ regnum Cę-
 saris firmabat illachrymauit. Q. Ligarium mul-
 torum criminum reum/& hostem/supplicanti-
 bus fratribus absoluit: Ciceroni omnibusq; ad-
 uersæ partis principibus, qui in acie, Pharsali-
 ca fuerant/liberaliter pepercit: statuas Pompeiū
 erexit: deniq; tam egregia clemētix monumen-
 ta prodidit: ut Cicero & ante Cæsaris uictoriã
 & post illius necem/non semel falsus sit/causam
 deteriozem Cæsarem humanitate sua meliorem
 effecisse: iustiusq; damnatus est/Pompeius pa-
 triæ defensor/ob crudelitatem in hostes/q̄ Cæ-

far euerfor ob clementiam : hunc nepos Octa-
 uius aliquando etiam imitatus est / cū enim Li-
 uium Historicum plus æquo Pompeianis fa-
 uisse partibus accepisset / satis duxit / pro ea iniu-
 ria Pompeianum eum appellare : cumq; Afini-
 um pollionem libris editis comendasse Cassiū
 ac Brutum / tum Afranium ac Scipionem intel-
 lexisset : quodq; Imaginem historicum, q; Octa-
 uii Liuiæ ac etiam filiæ existimationem uiola-
 uerat / domo recepisset / nō aliter ultus est / q̄ his
 uerbis : fruere mi Pollio / fruere / At quā pul-
 chre Hadrianus Cæsar iniuriæ & potētiae mo-
 derationem expræssit : cum enim Imperator fa-
 ctus inimicum in priuata uita obuium habuif-
 set / dixit euasisti : illud ostendens iam prius de-
 fuisse potestatem, atq; ideo metu eum noluisse
 liberare : cum primum potestas uliōis adesset /
 non solum uindictam nolle / sed etiā eum à me-
 tu liberare, quod iam reconciliatio timori im-
 putari nequiret. est etiam considerandum ni-
 hil magis ad augendam potentiam fatere, quā
 uindictæ obliuionem : quamobrem Pelecrus
 Lacedæmonius / cum apud eum frater querere-
 tur / quòd non à ciuibus ut ipse colebatur / re-
 spondit hoc esse : quia iniurias pati nesciret. il-
 lud igitur maxime obseruandū est / quòd qui-
 cunq; uiri magnam potentiam / aut auctorita-

rem desiderauerunt/ultionem semper contem-
 ptere:quòd intelligerent iniuriarum uindictā/
 Praxitelis fabulæ esse persimilem:ferunt enim
 eum speculum inuenisse/cum uero aliquando
 iratus in eum inspiceret / uidisse imaginem ut
 parerat/etiam tristē:inde turbatus minari cœ-
 pit/at illa rursus minas reddebat/qd plura? spe-
 culum frangit/cadunt frustra illius:ex unoquo-
 q; eorum effigies una minitans referebatur:sic
 Praxiteles dum unam in consulto hostilē ima-
 ginem euertere studet/plurimas suscitauit: idē
 In ultione. si unum occidas/amicos illius, affu-
 nesq; hostes efficis:atq; pro uno plures,ac me-
 liore causa:nomen etiam plerūq; populare in-
 uidiosum facis / malum te hominem ostendis,
 deniq; assuescēs uliōi,nil aliud cogitas / at ubi
 intenderis ingenium/ualet: id uero sic esse non
 solum ratio/sed experimēta/& exempla docēt:
 atq; in primis Alexander ille/in cuius cubiculo
 fortuna quoaduixit latuit/cum Athenienses cę-
 terosq; græciæ populos non ignoraret,q̄ hosti-
 li erga eum animo essent, ut etiam triginta mil-
 lia græcorum cum Dario militarent/uindicare
 tamen neglexit/qua animi magnitudine deui-
 cto Dario/quos hostes expertus erat/supplices
 habuit:at si contra ulcisci conatus/singulas ur-
 bes græciæ oppugnasset/rotam illam egregiam

iuuentutem/in qua etiam Indiam usq; penetra-
 uit/de populando/ Peloponesso cōsumpsisset:
 ut ex magno Alexandro/ignotus/regulus eua-
 deret. neq; Thebas ad iniuriæ uindictā sed ad
 terrorem inconstantium græcorum euertit.ac
 contra Pyrrhus dum iniurias persequitur/alio
 quin Dux inclytus,negocia omnia infecta reli-
 quit:miserabiliter moriens.Iulius Cæsar cū in
 priuata uita à Caio Caluo famosis ac contume-
 liosis carminibus esset laceratus/tum etiā à Ca-
 tullo/agentibus de reconciliatione amicis,Cal-
 uo prior scripsit/Catullum cœne adhibuit / q̄
 nam maior rogo hostis/q̄ uxoris mœchus Clo-
 dius?quem tamen deprensū damnari nō cu-
 rauit/etiam periurio illum tutatus. At contra
 Marius dum hostium sanguinem sitit/dum se
 totum ultioni tradit/infœlici fine consumptus
 est:seq; ac suos omnes perdidit. Quid Fabii ma-
 ximi factō generosius/cum ei Minutius magi-
 ster equitum/aduersus omnes leges à populo
 æquaretur,in imperio.multa contra Fabii fidē
 ac prudentiam eo etiam iactante: ubi tamen te-
 mere Minutius Hannibali occurrisset/oblitus
 iniuriæ Fabius/illum cum exercitu liberauit/
 unoq; factō fidem suam ac peritiā testatus est:
 & quā indigne populus Minutiū ei æquali-
 set/remq; publicam defendit/Minutium sup-

plicem ante genua habuit/ & Imperium cū au-
 ctoritate recepit. hæc sunt offensas/ obliuiscen-
 tium præmia. at contra Cicero, dum Clodium
 uerbis uxoris, hostem factum persequi pergit,
 ipse in exilium actus est / cum uero Antoniū
 infensum è repub. eiicere studet/ se met cū om-
 nibus suis tum omnes bonos, ac patriam sue fi-
 dei commissam, funditus sic euertit, ut nūquā
 alias recuperari potuerit. nonne & illud memo-
 ria dignum est/ quod Brutorum iniurias sper-
 nimus/ hominum ulciscimur: sic etiam tempo-
 rum damna æquo animo tolleramus / ho-
 minum ferre non possumus: at in uno de-
 est ambitio, in altero facultas uindictæ: fa-
 reor inquam / sed etiam in hominis iniuria /
 illud considerandum est: quòd homo est/ ac
 natura uelis / nolis ue: tibi coniunctus / ple-
 runq; etiam à te & si non intelligas irritatus: de-
 niq; qd te in iniuria urget: offensa ne an iactu-
 ra: si iactura illa ultione nō redimitur: si offen-
 sa iam te doles probum esse/ ac uideri: si quidē
 malorum proprium est inferre damna, at bo-
 norum pedissequa iniuria est. illud igitur cum
 quis aut calumniatur, aut contemnit, aut per-
 cutit aut uulnerat/ te cogitare decet: an primo
 uolens fecerit/ nam non uoluntaria offensio dā-
 num afferre potest/ iniuriam afferre nō potest.

laudaturq; Croesus quod Adraſto pepererit
 cum filium eius occidiſſet: conſtabat enī Aprū
 non filium Adraſtū telo petiſſe: ſic Auguſtus
 cum à Diomede diſpensatore ſepro expoſitus
 eſſet/ſatis habuit timidum illum appellare/qđ
 ſatis cōſtaret fraudem abeſſe:at ſi uolens offen
 dit,illud cogita an cauſam dederis/nam nō in/
 iuriam dices/ſed emeritam pœnam:at ſac inſon
 ti illatam iacturam : cogita an tu ſi licuiſſet idē
 facturus eſſes/nam non iniuria hæc eſt/ſed pu/
 gna:eſt autem omnis pugnae finis / inter duos/
 cum alter ſuccubuerit: quapropter puer Lacō
 cum ab altero uulneratus eſſet ad mortem/ ſo/
 lantibus ſociis ſpondentibusq; quāmpimum
 illis occurreret, is qui eum percuſſerat/illum oc
 ciſuros:at inquit ille nequaquā:nō enim me
 rito,cum id ego facturus fuiſſem illi,quòd nūc
 ab eo patior/ſi mihi uincere licuiſſet. at non ſit
 mens mala/abſit odium/abſit omnis cauſa, ui/
 de qualis ſit uir,qualisq; offenſa/ nam uel adeo
 tenuis eſſe poteſt, ut per ſe ſit negligenda / aut
 uir ille uilis, aut mentis non ſatis compos, ut &
 turpe & impium ſit in hos animaduertere/ſed
 age nullum horum occurrat / nonne primū il/
 lud intelligis, bonorum hoc eſſe uerum argu/
 mentum/quòd iniuriam æquo animo ferunt/
 nō ob timorem/ſed ob fortitudinem:ſic Pho/

tion cum damnatus esset ab Atheniensibus ad
 mortem/ quærētibus amicis, an quicquam uel/
 let filio renunciari/ respondit dicite ut huius in/
 iuriæ haud uelit reminisci. Aristides quoq; in
 exilio iniusto existens/ rogabat Deos ut Athe/
 nienses tam prospera fortuna uterentur/ ut Ari/
 stidis memoria illis nulla esset: post etiã illud
 contemplare/ quòd iniuriarum tria sunt reme/
 dia/ ultio/ obliuio/ & contemptus; horum quis
 iure ambigere potest præstantius esse/ contem/
 ptum atq; securius? nam cōtēptus neq; ut obli/
 uio propter animi secum coniunctam magni/
 tudinem turpis est: nec obnoxius reparadæ de/
 nuo iniuriæ: ultionem uero superat quòd &
 securiorem habet exitum/ & pœnitentiã nun/
 quã adducit: & quòd interim hominem desi/
 derium. non torquet. sed quã simillimus di/
 uis efficitur. sunt enī illi beatissimi/ ex hoc ma/
 xime quòd mortalium contemnunt iniurias:
 tales eos decet esse/ imo necesse est / qui foelices
 esse uelint: nam cum nullus homo iniuria care
 re possit, uerum quanto potentior, tanto à plu/
 ribus & maledictis & improbis etiã factis ex/
 petitur: neq; ulli mortalium cunctos fas est ul/
 cisci, namq; quibus plures fuere calūniatores, q̄
 regibus & imperatoribus? quorū potētia erat
 maxima/ non nature/ non Deo fuit, hic autē po

tens/nō uindicat. Homo igitur urfi more apes
persequentis/ac insanientis, de iniuriis ultionē
expetet: absit: nam etsi omnes sui temporis in/
iurias liceret uendicare/quid post mortem fa/
ciet: nūquid & de illis erit sollicitus: at par est
ratio/siue post mortem, seu uiuens, iniuriis/aut
famosis liceret libellis. Qui igitur contēpsit/
se in uita has uisus est/eodem etiā auxilio/post
mortem securus est. At in uindicta non li/
cet: nihil itaq; melius quā ingenti animo/uelut
si supra altissimam turrim consistēs/lapidibus
ab imo expetaris, omnis expers periculi/non so/
lum spernere/sed irridere illorum conatus irri/
ros. ultionis autem uoluptas, ut satiricus opti/
me ait, sceminis propria est: ut uiris contēptus
iniuriæ. Neq; enim (ut sceminæ) ea animi ma/
gnitudo contingere nō potest/ut offensas sper/
nat/sic & uiro (ut uir est) ut uelit ulcisci. Vide
ergo cui nam te magis/similem esse uelis: Verū
dices aliqui inquā egregii uiri / iniurias ulci/
sunt/nam & Cæsar Faustum Syllam/& Afrani
um iussit interfici:& Antonius Ciceronem:&
Alexander Calisthenem etiam acerbius ultus
est/circumducens eum exoculatum, atq; in ca
uea cum cane conclusum. sed eia homo bone,
nulla harum ultio fuit: q̄q̄ de Antonio dicatur
qđ uir fuerit scemina mollior, atq; animi corru

pti, in reliquis nō debemus esse solliciti: nempe
 & parem moribus finē est consecutus: at quan-
 tum ad hos pertinet, nihil minus q̄ uindictam
 in causa fuisse credēdum est: sed securitatis po-
 tius studiū quo in casu etiam à lege nostra per-
 mittitur. namq; Afranius iam semel, dimissus
 neq; fidem, neq; quietem seruaturus uidebat:
 legiq; obnoxius erat Faustus Sylla/populo Ro-
 mano ob patris crudelitatem odiosus: & simul
 Pompeii necessarius, quieturus haud credi po-
 terat: etiam si ei Cæsar pepercisset: namq; si pa-
 tris odio necare uoluit, maius hoc in Catone
 fuerat, quem constat postquam Cæsar germa-
 nos uicerat, suasisse senatui ut quoniam aduer-
 sus fœdera pugnasset, illum hostibus traderēt,
 At Sylla cū potuisset occidere, noluit. sic & Ale-
 xander Calisthenem eius imperium inter bar-
 baros infirmantem / non ob iniuriam / sed utili-
 tatem damnauerat: parū enim abfuit / ne simul
 ob eius uerba Persæ ab eo desciscerent: & Ma-
 cedones in contemptum haberent. Antonius
 sciebat Ciceronem si euasisset, nunquam quie-
 turum: quòd iam cum semel dimisisset / odio
 tamen irreconciliabili eum persequeretur: ete-
 nim si mors Ciceronis ad uindictam procura-
 ta est, uiuus capi potuit: aut crudeliter occidi.
 Iam uero & illud nobis occurrit / quòd plerūq;

iniuriæ hominibus conduxerint, atq; ut Ouidius dicit.

Vtilis interdum est, ipsis iniuria passis.

Plerunq; enim quem nō amamus/aut commiseratione tuemur/aut odio illius qui iniuriam infert/aut quoniam credimus potius atrocitate inimici, q̄ proprio scelere condēnari, atq; eo modo plures euasisse pericula compertum est: inter quos Valerius Maximus narrat, Gabinium ex contumelia Sisenæ & Q. Flaviū ex iniuria C. Valerii, Cottam uero sola iniuriæ suspicione fuisse liberatos: qbus absq; iniuria/absolutionis nulla amplius spes supererat. Accedit quòd tam fræq̄ns est hæc contumeliæ causa/ut totis diebus nil aliud meditari oporteat/ uulgius carpit eruditos: at hi contra paruifaciunt imperitos & improbos damnant/ iusti: bonos irrident scelesti: potentes potentibus/ ac regibus sunt obnoxii. hos contra lacescunt domestici/ probris/ maledictis/ furtis/ dilapidatiōibus/ mala fide. An uero decet perpetuo his discruciarī homīes: an potius animo forti negligere? laudatur L. Murena quòd ambitus à Catone pauloante accusatus/ Catonem ne occideretur in seditione/ toga protexerit: q̄q̄ nec ipse existēs/ absq; periculo, & Publius Pulcher/ quòd damnatus à tribus Lentulis fratribus de incestu:

unum ex his ambitus postulatam/patrocinio
 defenderit. at Marcellus à Siculis grauiter accu-
 satus, ac absolutus/non tantum ignouit / sed &
 eos in Clientellam accepit. sic Menedemus Ale-
 xinum fouit beneficiis/à quo multis erat iniu-
 riis laceffitus. Quam bene dixit Beatus Grego-
 rius/qui malos non fert/ipse sibi per impatien-
 tiam testis est/quòd bonus non est. Rex Arche-
 laus cum aliquando eum quispiam aqua resp-
 fisset, suadentibus amicis ut ulcisceretur/respō-
 dit: non me quidem respargere uoluit/ sed aliū:
 sic & illum à periculo, & se ab amicorū impor-
 tunitate liberauit. Memoria commendatū ui-
 dimus ingens exemplum/ferendarum iniuria-
 rum in seruo Antii restionis: qui per suspicio-
 nem à Domino in carceribus uexatus / & stig-
 matibus etiam iniustus, cum in triumuirali pro-
 scriptione dominum sequeretur, seruauiit ma-
 gno periculo, quem cum præmio ulcisci pote-
 rat. Nec sola hæc priuatorum sapientia extitit,
 sed ciuitatum: nam & Dionysius iunior, & Co-
 rinthi dum ludum aperuisset, & antequàm in
 exilium iret à Syracusanis occidi potuit: cum
 illos crudeliter uexasset neglexerunt tamen, &
 Romani Syllam in priuata uita, cum dictatu-
 ram sponte deposuisset: quòd nemo antea acerbi-
 us plebem offenderit/ ille sum esse uoluerunt:

Arbitrantes uindictam dum potentia uti fortium esse uirorum/tam quàm rem arduam: in iam profligatos uero aut illos qui uel sponte/ uel legibus à magistratu se abdicarunt: humanitate/ & clementia uti/opus diuinũ fore. Ideo/ q̄; nullum est hominibus maius ad foelicitatẽ argumentum / nulla ad gloriam uia paratior/ nihil ad uitæ tranquillitatem opportunius, q̄ iniuriam cõtemptus. Vide canes qui cum inuitiles hominibus sint, maiore tamẽ charitate fouentur/ q̄ uel boues/ aut equi/ quoniã à Dominis iniurias omnes æquo animo patiuntur: percussi/ blandiuntur: eiccti/ reuertuntur: obiurgati/ arident. quid plura? feris omnibus deterior est/ qui contumeliam non potest contemnere. nullum enim brutum animal/ memor est offensa. Quare homo non est prudentiæ particeps: Deo non carus, non diu foelix: qui uindex est. Paululum uero si te continueris/ uidebis iniuriam tuam, modo à natura ipsa, modo casu, aut ab aliis hominibus repositi uindicariq̄; : & quẽ ingenti negotio, maioriq̄; periculo perditũ curiebas, absq̄; labore/ absq̄; scelere tuo, miserũ, aut extinctum miraberis. malorum enim & iuiste bonos uexantium, per breuis semper uita fuit: aut non diuturna foelicitas. Si igitur sumpta uindicta nemo ab iniuria miser est, prestat autem

autem omnibus uel si potuerint, uel si non pos-
 sint, non ulcisci q̄ ulcisci; manifestum est, nullū
 ex iniuria ante ultionem/miserum / esse posse:
 Est etiam genus offensæ nostris temporibus
 existimatione maximum/cum uxor est impu-
 dica: de quo ut in turpi causa auribus bonorū
 parcendum est/illud tantum admonētes Pom-
 peium Metiam.P. Cæsarem Pompeiā ob adul-
 teriū repudiasse: qui uero Romani aut aucto-
 ritate/uel gestis/aut prudentia æquari his pote-
 runt: quorum tamen torum, uel importunitas
 adulterii/uel muliebris lasciuia foedauit: Septi-
 mius Seuerus/& Antoninus Philosophus/mœ-
 chas coniuges habuere/his tamen neq; foelicio-
 res/neq; præstantiores/nec reipub. meliores fa-
 cile inuenies: cum itaq; hortarentur Antoninū
 amici ut dimitteret eam/respondit licet æqui-
 dem/modo reddamus & dotem: erat autē dos
 ipsa Romanum imperium/quod Faustina pū-
 Antonini imperatoris filia fuisset. Nec igit. An-
 tonino quod nō repudiauerit sciens/nec Seue-
 ro septimio quod nesciuerit crimini aut danū
 est/aut uirtuti eorū obstitit/uel foelicitati. Nec
 solum tam claris uiris alienum scelus maculā
 inurere nequiuit/ uerum & priuati eam igno-
 miniam/ad se non pertinere putauerunt. Inde
 spartanus uir/cum adulterum cum uore ad-

modum deformi deprehendisset/dixit infoelix
 quæ te necessitas ad hoc impulit/nimis crudele
 est/si quod nulla sapientia tueri potest /stulti-
 tiæ tribuatur:aut si alieno crimine uirtus im-
 maculata,possit foedari.Sed tamen tribuunt/foe-
 datamq; putant temporum nostrorum homi-
 nes.Non sic Salethus:is Crotone princeps,legē
 tulit etiam iulia seueriorem:ut mœchi uiui cre-
 marentur:nihil maius hoc crimine existimans.
 uerum cum fratris uxorem ipse polluisset:de-
 prehensus,orationem tam luculentam habuit:
 ut ciues remittere pœnam uellent, ac in exiliū
 solum eum dānare.at ille culpæ intelligens ma-
 gnitudinem:in ignem sponte in silijt.crematus
 q; sic est. Perorauerat apte non ut absolueret-
 tur,quid.n.stultius,cum sponte perierit iā ab-
 solutus:sed ut doceret nullā esse posse causam,
 qua quis absolutione dignus uideri debeat,ita
 q; id non coniugis,sed ætatis nostre uitium est
 In qua mulierosi existentes,flagitii in homines
 perfidæ in Deum pœnas merito luunt:nec ces-
 sabit hæc pestis/donec uelut Polipus membra
 sua exedat/inde Maumethanis uires additæ/in-
 immensum nobis opprobrio cessit:Sed de iniu-
 ria satis nunc/de reliq; dicamus calamitatibus:
 inter quas carcer primo nobis occurrit.

Hic sordes/tenebras/solitudinem /cathenas/

miseriam/deniq; omnem/secum ferre uideret:
 cogit hic Boetium exclamare.

Ecce mihi lacerae dictant scribenda camoenae.

Et ueris elegi/fletibus ora rigant.

Sed ò generose, quid est hæc uita/nisi carcer

animi:deterior lōge q̄ corporis? atq; utinā qes

hæc grata mihi succederet/quā omnes uiri in-

clyti optauerunt, iter quos Demosthenes ille ora-

tor eximius/dimidium barbæ sibi detondebat,

ut cogeret non exire: ubi enim uerior

contemplatio quàm in solitudine: ubi studiū

solidius quàm in quiete? neq; enim ille Boeti-

us quicquā elegātius scripsit/quā quòd in uin-

culis excogitauit. nōne & Æsopus diu latuit in

sepulchro, & Demochritus in arcis mortuorū

sponte habitauit, scribentes interim, & tanto lu-

cidius animo perspicientes / quanto obscurius

oculis? Refert Plato Anaxagoram dum in cuz-

stodia haberetur/librum de circuli quadratu-

ra scripsisse. Quid acerbius Socratis carcere? cu-

ius finis mors certa erat/tempus uero diutur-

num/atq; indefinitum: ille tamen suauiter dor-

miebat/philosophabatur/scripsitq; carmina: ut

longe maius lumen Socrates carceribus attule-

rit/quàm carcer Socrati tenebras. Paulus ille gē-

tium doctor/magnam epistolarum partem ex

uinculis misit; ut ad Ephesios, & ad Timotheū

secundam & ad Philemonem.

Simili ratione seruitus toleranda æquo animo est/in qua natura nihil dominis liberalius indulgit;necq; enim ingenui uernaculis, aut fortiores sunt/aut formosiores/aut incolumiores/atq; (ut uno uerbo dicā) nihil aut corpore/ aut mente differt seruus à libero:at uero tranquillitate plurimum distāt;cum seruus unum habeat quòd obseruet/Domini scilicet mandatū præter id alimenta, uestes, cæteraq; necessaria paratā habet:at dominus non solum de se ipso/Sed de aliis etiam cogitur esse sollicitus: omnis iactura domini periculo/non serui fiet:ut si homines se in seruitutem tradere hodie uelint/ (cum lege nostra seruitus exoluerit) plures inuenire possis qui se tradant ultro in eam:q̄ qui recipiant. Omnes si recte animaduertimus durioribus dominis seruimus/cū liberos nos esse credamus/Principi equidem Deo, totq; naturæ necessitatibus/legibus/uoluptatibus/cōmunia hæc cum seruis sunt.& alimenta tamen/aut uestes/aut domum/minime nobis/ut seruis domini tradunt. Quid igitur mirum est multos seruos noluisse liberari:uelut Melissus Spoletinus grammaticus/pulchrum enim est alienari uere quadra, atq; utinam tam honestum a seclis Principum, An aliud esse putas, quā ser

nos quos ambitio decepit? cæterum & pericu-
 losiores, & infeliciores/uerum neq; ad gloriã
 cuiquam/fraudi seruitus fuit: nam & Plato &
 Xenocrates Chalcedonius, & Diogenes, phæ-
 drusq; & Epitetus Æsopusq; fabularum con-
 ditor, seruitutem seruerunt: inclytiq; gramma-
 tici, complures: Scribonius, Aphrodisius, & Ta-
 berius Crotæ/ac Antonius gniphotum Ploti-
 us in scæna clarus, & Manlius in astronomiã,
 poeta insignis. Quid uero de opibus dicam? an
 ego illa denuo monstra romanæ luxuriæ refe-
 ram/Drusilanum/Menecratẽ, atq; alios/ut nec
 seruituti regia maiestas defuerit? celebratur in
 quã Seruius Tullius/ex Romãis regibus ue-
 tustis/unus: talis fuit & aliquando Ædipus/no-
 stris temporibus Syriæ/& Palestinæ reges om-
 nes/ex hoc genere creabantur: sed facessant di-
 uitia/potentiaq; illa immensa: uulgata sequa-
 mur exempla: quantum equidem plurimis cõ-
 duxit seruitus/boniq; heri patrociniõ/nihil fu-
 it melius/ut autem bonus sit / maxima pars in
 serui ingenio posita est: inde plurimis non solũ
 libertas contigit, sed hæredes etiam dominorũ
 fieri meruerunt: nec nunc fræquentiora uesti-
 gia sepulchrorum antiquorum/q; quæ uel pie-
 tatem libertorum in dominos / aut dominorũ
 testentur charitatem in libertos; ut hæc uxorũ

parentum/fratrum/ ac filiorum / exemplis sine
 numerosiora.

Eadem ratione si inglorius uixeris/consola-
 beris te ipsum:multo enim melior cum serua-
 sis/eam conditionem patienter ferre: recusabis
 inquam ut Plato ait / Tulisses uitae praeteritae
 pertesus/sponte se transtulit.nulla enim foelici-
 tas homini maior contingere potest/ q̄ ut glori-
 am nec quaerat nec habeat.altero enim in sum-
 ma tranquillitate animi/altero in maxima secu-
 ritate uiuit. Quid enim est humana gloria ali-
 ud q̄ dulce uenenum hominibus/ & speciosus
 fumus/in quem cum ingrederis obcecaris, &
 suffocaris: caetera quae desiderantur / aliqd ha-
 bent utilitatis/secum:hec sola plurimum uani-
 tatis/laboris/piculi/anxietatis/pariq; onere praem-
 imur/retinendo,& acquirēdo amici opes:po-
 tentia ornamenti plurimum/inuidiae/ parū tri-
 buunt:sola gloria inuidiam uelut umbrā: splē-
 dor comitem indiuiduum habet: ea sola mo-
 mento perit:& uita: reliqua difficilius: quam
 multi generosa facta in alios transtulerunt: è
 quibus Socrates cū uictor esset/in prelio: ope-
 ra sua laudem & dona tribuit Alcibiadi.Sed qs
 in hoc Platonem poterit superare,qui uniuersa
 quae nouerat his à quibus didicerat tribuit,
 hinc Socrates & Timeus & Parmenides dispu-

tantes, docentesq; introducuntur, nulla est hec
 de maior gloria / quam gloriæ contemptus:
 gloria cares / si ambitione cares: cur quereris cū
 non habeas quod non optes? si ambitiosus es
 te ipsum accusas / nō esset ambitio uicium / si glo
 ria iuste desiderari mereretur. Nō possum nar
 rare exempla eorum qui cum uirtutem colue
 rint / laudem contempserunt, agnosci. n. nolue
 runt: uerum tamen / eos solum etiam hodie bō
 nos / ac beatos dicere licet: qui secundum uirtu
 tem uiuentes / latent. Quid. n. aliud ambitiosus
 sibi parit / quā ut omnia eius probra cunctis pa
 teant? nemo. n. est cuius si uitam diligenter in
 spexeris / plura nō inuenias / uituperatione quā
 laude digna: huic periculo non aliter tutius oc
 curritur / quam si maxime latueris.

Offert se pari utilitate imperitia / quam ta
 men plurimi iniuste deplorant: qui. n. scientiā
 addit / addit & laborem (ut propheta dicit) mie
 to uerò quod Paulus prædicat / hanc nostram
 scientiam / Deo esse inimicam / solū utilitas uul
 garis consideretur / anima periclitatur: corpus
 atteritur / filii facultatesq; negliguntur: inuidia
 conflatur: uita minuitur: ob hanc insanam cu
 piditatem / non sciendi / sed scire nos simu landi
 nam ne tu sapientior Socrate aut Platone / uel
 Aristotele? Socrates gloriatur quod nihil sciatur.

Plato dubitat de plerisque: Aristoteles tam obscure loquitur / ut non scire dicas / sed ut non ignorasse possis arguere: multis uero quanta iactura stetit opinio eruditionis? atque sanè mihi ea mediocritas ingenii / quam magno detrimento fuit / totiens ob id pulsatus / eiectus / iactatusque / atque utinam uel talis fuisset / qualem paruauerunt / aut qualis eram / talem me illi existimassent, inde tot conspirationes / totque indigne illorum uoces / quas ego semper contempseram / hoc solo hominem homini præstare / quod bonus sit. Quemadmodum & in cæteris omnibus rebus uidemus: & Alexandro Achillino Tiberio bononiensi / Petro Leoni / Marco Antonio ueronensi / opinio hæc non sine contumelia, & iactantia / magna mala peperit. Nam Achillinus ueneno extinctus est: Pettus Leo in puteum præcipitatus: Marcus Antonius & Tiberius breuis uitæ / occasionem sibi paruauerunt: sic inanis hæc sapientia / multis peranda est / in commodis. Quanto melius his fuisset / uel artem / uel negotium exercuisse? Quem mihi doctum uirum obiicies / atque fortunatum? imo quem doctrina illa sua non pessum dederit? Socrates occisus / Anaxagoras in uinculis habitus / Plato uenditus / & capitali periculo expositus / Xenocrates similiter: Aristoteles pulsus / fuga

tus in exilio mortem aut uoluntariam aut non inuitus subiit. Demetrius phalereus exsul, & damnatus est. Demosthenes uoluntarium bibit uenenum. Eschines exul, Solongus: Licurgo erutus oculus, exilium, tot uitæ pericula. Ioannes scottus à suis stilis confosus. Cicero foede occisus: Varro proscriptus, nullus nõ uexatus denique fuit: aut omnino contemptus. Quærit & iuste iniuriam Budeus uir nostre ætatis insignis, Quot & quautas persecutiões, Erasmus passus est, fuerant ne prophetae, aut sapientes legis mosaicæ foeliciores: absit: res est eruditio, quam qui non habet, non optet: qui habet, emptam gemmam credat, quæ magno pretio parata est maiore sollicitudine, & periculo sit seruanda. Sed iam de his rebus nimis: namque pauci admodum, ac pene nulli de imperitia cõqueruntur: cum se ipsos libenter fallant.

Cruciatus ipse est qui quasi merito intolerabilis uidetur esse: est autem hic triplex ex morbo, & à iudicio, & immeritus. uerum quisquis ille sit, aut magnus esse non potest, aut uõ diuturnus, raroque immeritus probis uiris incidit: at si incidat ferendus est: persimilis est enim illi qui sponte ex morbo, aut casu contingit: in qua animi uirtute nonne pudet iure à foeminis superari, quæ cum in pariendis filiis uehe-

mentissimum dolorem ferant, totiens tamē hominibus congregiuntur: nec abortire propter id cupiunt, cum iā conceperint: quinnimo etiā steriles nihil aliud magis optant, quā filios procreare: est autem maximus ille dolor, quem in partu fert mulier, & uitæ periculo propinquissimus, cum non pauce illarum ex eo moriantur, nam certe quæ eculei, quæ rotæ, qui tortores, cruciatus coli, dentium, auris, uentriculi, uesicæ, uteri, superare possunt: cum ex his doloribus frequentissime conuellantur/parum mitiores sunt/chiragræ/podagræ/schiaëq;: at quales hi sunt/tamen quorum gratia patientes / nec à delitiis/nec à uenere uolunt abstinere: etiam salutis certa spe proposita/nullus est dolor tam acris/quem animi constantia non superet, Possidonium philosophus/cum eum Pompeius articulari morbo laborantem uisitasset / aduersus importunos dolores dicebat/urgeant quātum uelint, nō tamen dolorem malum esse fatebor: neque enim malum est/quod extra nos est/dolor autem corporis/si animum non uincat/noster esse nō potest. Quam pulchre id ex pressit Cereus qui Asdrubalem occiderat/quod is dominum suum interfecisset/neq; enim ullis tormentis adigi potuit / ut uultu lætitiā quam animo ex uindicta heri concepat/nō exprimeret.

ret. Memini Antonium cribellum publico iudicio lacerandum, dum nudaretur/alacri uoce testatum/se nullis cruciatibus impelli potuisse/ut conscios patetaceret, unaq; uoce facinoris cōplices/& habuisse/& oculuisse se ostēdit. Quid igitur mirum/si tam constanter Pompeius coram Gēthio Rege/digitum lucernæ admouit/ut intelligeret Rex per uim à legatis spem nullam esse extorquendi secreta? Tam patienter & Sceuola ille ante Porſenam manum combussit, neq; in hac gloria mulieres fraudandæ: mater Hircani iudei/cum à Ptolomeo genero discruciatetur/silium hortabatur/ne obsidionem dimitteret; sed potius patrem / quem ille occiderat/ulcisceretur. Epicharis liberta / generosior multis uiris/nullo cruciatu ad confessionē sceleris/aut cōsciorum potuit cogi. Quintilia, etiā minima/cum coniuratiōis in Caliculam argue retur/torquereturq; /pertinaci proposito meruit liberari/ac pro infante habita/ p̄mia quoq; tanquam innocēs uexata/accepit. Quid de Barbara Agatha/christina/cæterisq; uirginibus dicam? quarum numerus est omni fide maior/cōstantia uero admirabilis/ut nō tam tulisse/quā optasse tormenta uiderentur. Sed hæc nostræ legis munera sunt/ad naturæ autem rationem iterum reuertamur; nulla est quies tam grata

q̄ quæ dolorem consequitur: nulla est mors tā
 lenis/q̄ quæ fit à diris cruciatibus, Omnium igitur
 tormentorum finis/seu ad salutem / seu ad
 mortem/placidus est: illud etiam considerare
 expedit/omnes qui ferunt graues pœnas/si ani
 mum existimant immortalem/hoc illo tam be
 ne consolari debere/ut nil requirant amplius:
 his autem qui à morte nihil esse putant/mors
 ipsa dolorum finis certus est: quod si cruciatus
 hic tibi meritis/merito etiam si nulla esset sola
 tii alia ratio/ferendus bono animo est: quod pœ
 nam exoluis/mentemq; debito supplicio libe
 ras: neq; enim & corporis & animæ simul / &
 animæ rursus solius pœna luenda est.

Eadem sed facilius in morbis ratio militat
 quæ in cruciatu: quid enim in morbo intollera
 bile est, si absit dolor? cum uero uix sentiat
 quamplurima bona parit/eo discimus nos esse
 mortales/admonemur fragilis nostræ conditio
 nis/naturæ haud stabilis/quodq; aliene subiici
 mur potestati: inde nos subit cogitatio recta/
 docens mentem alio collocandam: quod tibi di
 splicet/alteri non esse faciendum/inde continen
 tiores temperatiq; euadimus / pluribus etiam
 morbus uitam protulit/famam emendauit: uir
 tutem auxit: si morbi non essent/homo sæuior
 Tygride/truculētior Lena fieret; existimat Ma

trobius morbos his maxime accedere/nō quos
 odit deus/sed quos diligit. Seneca uero putat
 eum uere esse infelicem/cui nihil unquam cō/
 tingit aduersi: eōq; solum existimandum mise/
 rum/quod nimium foelix sit. Dicebat autē Pau/
 lus/quem diligit deus/castigat: effrenis est hu/
 mana natura/& nisi morbis(ut triticum)subi/
 geretur/sepius ad ferarum mores facile declina/
 ret: anima cum à corpore incipit separari/nobi/
 lior tunc est/quod naturæ suæ relinquat: quæ
 melius intelligit & uidet à corporis uinculis ab/
 soluta: Quo minus mirum fit tales & imbecil/
 li esse/& morbo sa natura/& uita breuiore: non
 potes assequi omnia/si foelix es ingenio/necessa/
 rio ualitudine infirmior es: an uelis robustius
 corpus/ac belluis simile ingenium: an uero po/
 tius diuinam quandam naturam / cum debili
 corpore? sed tamen & animalia quedam perpe/
 tuo infirma sunt/ut Leo & Capra. Vnde etiam
 qui capras uendunt/non quemadmodum reli/
 qua animalia incolumes pollicētur: sed ut Var/
 ro inquit/hodie recte esse, & bibere posse/habe
 req; recte licere: & hæc animalia cum rationis
 expertia sint/lætantur tamen / q̄q̄ nunquā sint
 sine febre: homini soli consilium ad sui perniciē
 datum erit illud tamen non obliuiscendum/ra/
 ro probos externis cruciatibus/temperatos ue/

xari internis.

Sed sunt qui grauiora morbis surditatem/ aut cecitatem putent: quæ nihil hoc ad foelicitatem tollendam pertinere uideatur: **Homerus** enim cæcus cum esset/omnes poetas græcos & Latinos superauit: **Timoleon** siracusas cæcus gubernabat/ **Apicius claudius** turpem pacem cæcus diremit/romanorum cū **Pyrrho**: meliusque uidit, tot oculatis. **Annibal** quauis captus uno oculo esset/Italiam tamen penè totam subegit/ gloriaque omnes pœnos duces, Romanorumque/ uno excepto **Scipione** superauit. **Ioânes** quoque Rex Bohemiæ cæcus/uir fortissimus/& consilio prudentissimus/cum inclinatum aciem suorum sensisset/in confertissimos hostes se intulit/ne qui uictor esse non potuerat/ uictus fuisse diceretur. Vir quidam parum ante nostra tempora fuit/cæcus/in musica tam insignis/ut omnes sui sæculi homines superauerit: magnoque in prætio apud principes habitus/ditatusque est. **Habet** & cæcus suas uoluptates/ uenerem, conuiuia, musicam, eruditionem, disciplinas denique/ nisi à natiuitate talis fuerit, dimidio temporis solum cæcus est: namque & ipse per somnum plura uidet, ut mirari contingat: de **Aristotele** quod uirtutem illam uidendi in oculis, non in cerebro collocauerit, nempe si in oculo uisio fit, ex

oculatus per somnium nihil uidere poterit: ut nec is qui omnino à natiuitate talis erat, sed si ab initio cum natus est, cæcus fuit: nō est quod doleat, cum non cognoscat. uulgare. n. est quæ ignoramus nos neq; dolore, neq; afficere uoluptate: multa uero cum uideamus quæ delectant, non pauciora sunt quæ contristat: unus autem est uerus oculus, intellectus; qui eò lucidior est, in cæcis, quo lux illa animi ab externa non distrahitur. unde cæcos & memoria, & ingenio magis pollere uidemus; atq; ut poeta de Tiresia dicit.

Obruit ora deus, totaq; i pectore lucē. attulit.

Significans cæcum illum, mente fuisse occultatissimum: unde ei prædicendi futura antiquitas gloriam tribuit, quod esset prudentissimus tales enim futura prædicunt, non inanes isti Astrologi aut etiam illis impudentiores sortilegi: sed ad rem redeamus. Didimum philosophum cum Antonius ille sacer solaretur dixit te ipsum consolare, quod oculos angelis cōmunēs retinuisti; muribus, & lacertis similes perdidisti: Diodorus historicus Cicerōi familiaris erat hic inquam cæcus, & philosophus, & musicus, & geometra, celebris fuit. Caius Drusus iuris ciuilis peritissimus, cæcus uidentibus patrocinium præstabat, Democritum ferunt ob ciuū

odium se ipsum obcaecasse, unde notissime illi uersus.

Democritus abderites, phisicus, philosophus, clypeum constituit, contra exortum hibernionis, oculos.

Effodere ut posset, splendore aereo, ita radiis solis, aciem effodit luminis, malis bene esse ne uideret, ciuibus.

Solebat Asclepiades philosophus in cecitate ludere dicens, nihil aliud esse quam quod puero uno faceret, ut plus indigeat, sed etiam illud magnum commodum praestat, praeter reliqua caecitas: ut mors ipsa etiam sit iocunda, cum non ob aliud mortem magis timeamus, quam quod tenebras illas tetras nobis effundat: & omnem uisum eripiat, at si caecus sis nullam in morte mutationem percipies, ut etiam quod alios maxime torquet, te mori non sentias.

Itaque cum in his omnibus, quae dicta sunt, nihil mali sit: uidentum puto an in communibus illis calamitatibus lugendum sit: haec autem sunt uelut pestis, fames, ac patriae excidium, quae tamen cum communia sunt leuius homines pati uidentur: quam si solis id contingat, at certe si mala haec essent, grauius ferri deberent: cum difficilius possint emendari. est igitur potius haec iactura hominum, ex opinione quam ex re ipsa: at cum

Forſan ſeneſtutē / aliquis / tam illepidus erit
 ut accuſet: non memor neceſſarium fore ut iu-
 uenis iam fuerit, qui nunc ſenex eſt. ſed Cepha-
 lus ille Platonicus / aut Plinianus ſparinna aduo-
 cetur: ab hiſq; quæramus an malum ſeneſtus:
 quā florida ea ſit ætas, ſi non uitiatur: oſtendit
 Iacobi Philippi Sacchi robur ac uirtus: quem
 olim Principem / Senatus Franciſcus Sfortia
 Dux legit.

Itaq; cum in hiſ omnibus / quæ dicta ſunt /
 nihil mali ſit: uidendum puto an in communi-
 bus illis calamitatibus lugendum ſit; hæ autē
 ſunt uelut peſtis / fames / ac patriæ excidiū / quæ
 tamē cum communia ſunt leuius homines pa-
 ti uidentur: quam ſi ſolis id contingat, at certe
 ſi mala hæc eſſent, grauius ferri deberent: cum
 difficilius poſſint emendari. eſt igitur potius hæc
 iactura hominum, ex opinione quā ex re ipſa:
 at cum uniuerſalis extiterit / aureā ætatem imi-
 tatur. fides enim incorruptior / humanitas / fræ-
 quens cōuerſatio / urbana / uictus frugalis / eoq;
 meliores hominum / & mentes / & mores quo
 fortuna deterior / tunc cum pomis ſolis ueſce-
 ris, ſi panem haberes beatū te diceres, at antea
 panem / uinum / lectum / obſonia / habebas / et que
 rebaris. Inuidia igitur eſt, quæ nunc nos tor-
 quet / non uoluptas / luxus / non neceſſitas / nāq;

si iusto nunc desiderio teneremur/omnia om-
 nibus temporibus equaliter optaremus/nec tā
 inſoelici exitu indigeremus/ad cognoscendum
 quā paucis uilibusq; rebus natura contenta
 fit.at uero tunc si in ea miseria uiuere gratum
 eſt/miseria illa eſſe non poteſt/solum enim ue-
 re miser eſt/qui uitam odiſſe cogitur.at in cō-
 munibus calamitatibus nemo uitam odit / ſed
 tunc maxime patienter fert; neq; enim turpe ui-
 deri ſolet / quod commune eſt. uidetur autem
 omne humanum malum/praeter mortē in qua
 dam turpitudine conſiſtere ; & bonum in glo-
 ria/id autem eſt quoniam uerē nullū (ut ab ini-
 tio dictum fuit) bonum/aut malum; in huma-
 nis eſſe poteſt/Sed ad rem reuertamur / perit
 patria/in eaq; amici/atq; affines / exiſtimatio/&
 opes/fateor/an putas eos ſolū tibi propinquos
 qui in ea ciuitate erant? omnes ex una ſtirpe ſu-
 mus/cum ad auos & proauos recedis longa af-
 finitas eſt.amicitiam/mores exiſtimationē / uir-
 tus pariet/qua ſi tu cares/non exiſtimatio / ſed
 ambitio/ & dolus fuerat ; in paupertate autem
 multos ſocios habes / ut pudere te propter er-
 rorem/tedere propter ſolitudinem non poſſit:
 uerum ut diximus mendicis ſuccurrunt/ſpor-
 tae Xenodochia proceres religioſi/uiri probi/in
 quo euentu publica clades aufert/dedecus; qđ

tamen multi ob leuem quem nos contēnimus
 laborem/fugiendum subeunt; sed si sit animus
 industria/mens armata uirtute / rarò admodū
 ad id peruenimus: quàm q̄ afflicta tota ciuitate
 nempè Syracusas/dum diriperet Marcellus Ar
 chimedem/seruare noluit; & negare, cū à Ptho
 lomeo prius, post à Demetrio Antiochi filio
 captæ & spoliatæ eēt (Stilponem philosophū
 nam perdiderunt) à regibus enim seruatus &
 Honorifice habitus, dona accēpit: altero eū se/
 cum deducere tentante, altero eius etiam factō
 discipulo: cum uerò Rhodus à Demetrio op/
 pugnaretur/Protogenes à Rege pictor in sub/
 urbii celebratur/cum ciues in urbe uix tuti eēt
 habet uirtus secum comitem Nemesim/quæ
 mendicare non finat/à communibusq; pericu/
 lis eruat/Socrates illæsus Athenis mansit/à pe/
 ste: Crates à Thebarum excidio / non debet uir
 singularis uirtutis: populari periclitari, calami/
 tate manent/tales sua propria fata/inuidiæ im/
 probarum/obnoxia. Reliquum igitur est/ut d
 malorum multitudine dicamus: ac ut Dioge/
 nes ait/is ego sum/in quē diræ iactatę sunt im/
 præcatiōes: sum enī dicebat sine domo/sine ciui/
 tate/patria exul/uagus/mendicusq; : his omni/
 bus uirtutem animi satis esse putauit/Si igitur
 senex æger/inops/exulq; fueris; an hoc est ma

la augere/an diuidere? non sunt calamitates nu-
 mero/sed magnitudine metiendæ: fit autem ut
 uelut in doloribus calamitas pellat calamitatē/
 exilium aufert dedecus miseriæ: cū apud igno-
 tos fueris: est autem ea pars (ut dixi) in homine
 quàm præter mortem homines libentius fu-
 giunt, an uero tu uelis potius Philotam esse, cū
 ab Alexandro discruciaretur/ quàm uis iuuenē
 decorum/robustum/summo genere natum/di-
 uitem/ q̄ seruum/ egrum/ etiam in pistrino labo-
 rantem? Hercle/ non est enim humana condi-
 tio/ ut uestium ingens enim macula eo magis
 deturpat, quo uestis ipsa fuerit prætiosior. mi-
 nus autem quo fuerit obsoletior: atq; pluribus
 foedata uitiis: uerum & illud obseruandū est
 diligenter / neminem posse perpetuo tempore
 esse infœlicem: nam & somnus molestiam om-
 nem adimit/iocundusq; misero/nō minusquā
 fœlici:sunt & sensum delectatiōes/ex æquo om-
 nibus fermè communes/gustus/uenus/oculo-
 rum spectacula/auditui simphonia/naribus io-
 cundus odor: ut non possint omnia ex æquo
 prorsus grata cuiquàm simul interire, quam/
 obrē cunctos decet illud cogitare/quod si mor-
 tales omnes dormirent / nullus tunc alio esset
 fœlicior/at nunc non solum dormituri/sed etiā
 morituri sumus;& cum diu uiuere non possi-

mus/nescis tamen quàm parum absis à morte.
 Quamobrem omnia constanti animo aduersa
 ferre/non solum sapientis est, sed etià utile con-
 silium; cum nihil in hac uita aduersum nobis
 uere dici possit. eaq; causa Homerus/Aten deã
 calamitatum nudis pedibus esse fingit. nec aspe-
 rum solum calcare / sed per mortalium capita
 summo uertice leniter ambulare: significas nõ
 nisi fractis uiris, & consilio perditis, delitiisq; ac
 luxui indulgentibus/calamitatem adesse posse:
 at fortes ac uirtute præditos/nec inuadere/nec
 omnino aggredi tentat. nihil enim solidum/nĩ-
 hil asperum/ea Dea tãgere/aut premere potest
 Quin igitur mentem tuam/donumq; diuinũ,
 ad cœlestia eleuas? ubi illa sempiterna ac dulcis-
 sima uita/tibi parata est? homines enim in hoc
 mundo/ut fabæ sunt/alie enim pusillæ/alie ma-
 gnæ/alie florent/alie fructibus conspicue/alie
 aride/alie luxuriãtes/alie exiles/fruticosæ alie,
 omnes tamen unus autumnus quàm breui in-
 inanes stipulas redigit; neq; inter illas ullũ am-
 plius est discrimen/non solum quæ sit/sed quæ
 fuerit omnes unã intereunt / non amplius na-
 scituræ: sic hominum omnis fastus/ ambitio/di-
 uitia/potentia/filii/amici/gloria/q̄ breui conse-
 nescunt/intereuntq; .nec quicquã refert an Irus
 fueris/an uilis Galba/an Antaxerxes/aut genero

sus etiam Hercules sola uirtus/ac Probitas bea-
 tum hominem/sola scelerum conscientia infœ-
 licem efficere possunt.cum pessimum illud qđ
 uir bonus timere potest/optimū sit/ quod im-
 probus optare/quæat:scilicet animorū in mor-
 te interitus/uerum ut nec huic sperandum/sic
 neq; illi timendum : misit enim Deus pater in
 hunc mundum nos/tanquā filios regno pre-
 ponendos/luctamq; cum sensibus / cum mun-
 do/cum diabolo/ex occulto spectat : qui forti-
 ter aduersus hæc omnia pugnabit / sublatus è
 theatro inter principes numerabitur regni il-
 lius : qui autem profus iners/omnibus succū-
 bet/tam quam seruus in uinculis/cum theatrū
 exierit habebitur.Porrò theatrum hoc exorna-
 tum ad spectaculum esse par fuit : ipsum uerò
 patrem ex abdito spectare:qui enim tam stulti
 filii/coram eò luxuriosè/& pigrè tum etiam se-
 ditiosè uiuerent/ si aliquem spectatorem suorū
 operum/nedum patrem illum magnū/ esse pu-
 tarent?cum itaq; streum agonem anima su-
 perauerit/tam quā amans amanti copulata,
 ea dulcedine ac securitate fruitur, quā nec scri-
 bere,nec cogitare possumus;cū uix liceat amā-
 tium terrenorum ostendere uoluptatem:inter
 quos tamen multa turbulenta,nihil tutum,ni-
 hil diuturnum;beatus est tamen/hic amās om-

niumq; aliorum obliuiscitur/cum amatae con/
iungitur:at ibi in principatu securus, perpe/
ruusq; animus, eum amat, in eius conspectu
semper est, qui omnia potest: atq; in omnibus
ut uerus pater bono filio, placere paratus est.

FINIS LIBRI DE CONSOLATIONE.

SERIES CHARTARVM.

ABCDEFGHIJKLMN O P

Omnes sunt quaterni præter P duernio.



